





Sum ex libris Christiani
Casimiri Risii. Cracoviae
Ao 1699.
d. 13. Julii



BENEDICTI A S. IOSEPH
SCHOLARVM PIARVM.
LYRICORVM
LIBRI IV.
EPODON LIBER VNVS.


BENEDICTI
A
SANCTO IOSEPH
Scholarum Piarum
LYRICORVM
LIBRI IV.
&
EPODON
LIBER VNVS.
ILLVSTRISSIMO DOMINO,
D. STANISLAO
ANTONIO C. C. R.
SZCZVKA
REGNI REFERENDARIO.
LVBLINENSI, VARECENSI, &c. &c.
CAPITANEO,
DEDICATI.

VARSAVIÆ.
Typis Regjis Collegij Schol. Piarum
Anno Domini 1694.

IN GENTILITIA RASTRA
Vetuſtiſſimæ SZCZVKOVIORū Domûs.



Laurea Sarmatico meſſis ſuccrevit in Agro,
Qvem Raſtro coluit Szczukoviana Domus.
Scipio Marſchalli crevit, crevêre curules,
Lucia dū Patriꝰ RASTRA teneret Honor.
Et noſter Lechico vireat qvod Pindus in orbe,
Excultus Raſtris, RASTRA coronat ager.



ILLUSTRISSIMO
DOMINO
D. STANISLAO
ANTONIO
SZCZUKA,
REGNI REFERENDARIO,
Lublinensi, Varecensi,
&c. &c.
CAPITANEO.

NON *alium Musis meis Parnassum quærere volui, quàm tergeminos Tuos*

Colles; non ab alio rude coli ingenium, qvàm á Tuo RASTRO. Felicitas ſcribentis eſt, in eum incidiſse Patronum, qvi Muſas nôſti, & æſtimas. Vileſcunt aliás ditioribus pulcherrimæ Virgines, & multis nihil citiùs deſpectui habetur, quám earum eruditio. Sed hoc non intelligentium vitium eſt; æſtimat, qvi verè intelligit. Felices Horatij, qvoties in Auguſtos incidunt. Benè Homeris cum Alexandro, qvia intelliguntur. Benè Claudianis cum

Ho-

Honorio, quia penſantur. Optimè Sarbievio, qvia á prima poſt DEVM *in terris poteſtate ſuſpicitur. Mihi ſimilia patrocinia qværenti, non alius Mæcenas electus, qvám Tu* REFERENDARIE REGNI ILLVSTRISSIME. *Qvaliſcunq; lucubratio eſt, non aliter Orbi referri poteſt, quàm per* REGNI REFERENDARIVM: *non aliter iudicari, quàm à Lublinenſis Vrbis* CAPITANEO, *quæ Tribunalitijs iudicijs eſt ſedes. Areopago hoc*

contentor, nec ad Cæsaris iudicium provoco, satis ad Cæsaris, satis ad omnium notitiam venio, si per Te referor. Sed qvorsum hæc? abeant literæ; si nomen tantum & fama qværitur. Lyrica mea quòd ILLVSTRISSIMO Nomini Tuo dedico, non aliqva gloriæ licitatio est, sed debitæ gratitudinis exsolutio. Scio, qvid Tibi, scio, quid SZCZVCIANO Sanguini cum Scholis Pijs debeam. ILLVSTRISSIMO CASIMIRO SZCZVKA à virgin-

ginti & amplius annis, ex delictis iuventutis Oratoriæ, & ignorantijs adolescentiæ Pòéticæ innotui; admovit pectori meam ingenij teneritudinem, & Infula Cracoviensis qvod viderit lucem, MAŁACHOVIANO sumptui, ac SZCZVCIANO svasui debet. Maximus ut virtutis, sic & literarum amator, ubi me Lyrica moliri intellexit, ad Te dirigebat, non Domui suæ aliquam qværens famam, sed labori meo patrocinium. Dum venio ad finem operis, ille oc-

cum-

cumbit, qvo Patriæ, & meo dolore! nemo intelligit, nisi qvi penetrat Patriæ lachrymas deflentis optimum Civem, & Clientis, potissimum Patronum. Quicunq; tanti Viri æstimator, nemo non ingemuit, cum Regnator etiam Thronus indoluerit. Adeóq; defuncto illo tacuisset Lyra mea, nisi Tibi fuisset destinata. Non enim extingvitur SZCZUKOVIANA in Scholas Pias propensio, ubi CASIMIRIANI in nos affectûs apud Te executio. Feci, qvantum à

me

me SZCZVKOVIORVM veneratio expectare potuit. Non descendi in Maiorum Tuorum Illustrissimas Ceras, qvia satis Tibi è Luciorum Romanis olim imperante Sanguine prodijsse. Legat Bohemicos, Polonicos, Russicos annales qvilibet, & deprehendet SZCZVKOVIORVM Nomina affinitatibus clarissima, ad qvas Ducum etiam in Russia & alibi regnantium Nobilissimæ Familiæ accessêre. Mihi sufficit demonstrâsse, qvis es. IOANNI III

pro-

probari, os Principis esse, Mareschalcalem in Comitijs Scipionem direxisse, Cataphractam Legionem notabili sumptu tenere, ad actum præstandi homagij Prussiæ Serenissimo Regi IOANNI III. & Serenissimo Electori Brandeburgico FRIDERICO III. cum LVBOMIRSCIO Legatum Magnum, ad Augusta Serenissimæ TERESIÆ cum BAVARO tractanda connubij fœdera Commissarium extitisse, deniq; Maximi REGIS cor effici, & amplissi-

si-

*ſimis deſtinari honoribus ſuffi-
ciens plectro occupatio. CA-
SIMIRVM Culmenſibus
admotum Inſulis, VENCE-
SLAVM Officialis Regni
honoratum Faſcibus, RA-
STRA Veſtra in alijs
SZCZVKOVIIS nunquam
otiari, hoc mihi decantare
propoſitum: non qvia meritis
Vetuſtiſſimæ Domus ultimus
is applaudendi finis, ſed quia
teſtudo mea amplius proſerpe-
re non potuit. Et hæc eſt in
Lyricis meis frequentiſſima
materia. Qu d ad aliorum
lau-*

laudes deſcendi, nulli ſunt, niſi aut Tui Patroni, aut amici, aut clientes. Si aliquorum necdum notitiam habes, ſtudui; ut eſſent Tui. Tibi debebunt, ſi in aliquam orbi notitiam per me venient. Interea qvia SZCZVKOVIANO, quia Tuo Scholæ Piæ obligantur Nomini, per me ex illis minimum obligatio exſolvitur. Satis illis, ſatis mihi erit, ſi eodem qvo CASIMIRVS SZCZVKA proſeqvêris affectu. Ego verò non hic

tan-

tantùm, ſed ubiq; perpetuum me Tui, & SZCZVKOVIANI Nominis teſtabor cultorem.

ILLVSTRISSIMO
NOMINI TVO.

Devinctiſſimus Servus

BENEDICTVS à S. IOSEPH,
Scholarum Piarum.

Ad Amicum LECTOREM.

ITerum ad illud tribunal venio, ubi non aliud judicium, niſi cenſeri. Quod Cracovienſi Inſulæ timebam, hoc & præſentibus Lyricis. Vtinam tamen in his propitiũ ita habeam Lectorem, ſicut hactenus. Lyricorum libri ſunt quatuor, & Epodon liber unus, non quod ad æmulationem Horatij, aut magni illius Sarbie-

bievij descendere voluerim, sed quia sequi conabar. Quám longe sim ab illius Sarmatici Phæbi laude, nemo mihi exprobret, ipse fateor. Tam sublime ferri nolui, quia nec tenuitas mea potuit. Non in Vaticano, non in Septicolli Vrbe scripsi: qui me & meas distractiones novit, mirabitur non scripsisse tantùm, sed & attentâsse. Si ad illud Pöëticæ sublimitatis fastigium non ascendi, non est unde arguar.

ar. Aſsequibilis eſse malui, qvàm inveſtigabiliter currens. Sed cum Lyrica mea aliquot exemplaribus in lucem editis cenſuræ ſubijcio, ecce notor, Oratoriè magis perorare, quam Poeticè canere. Ita eſt : ex Oratore factus ſum Poeta, ex Poeta Orator: & id ut oſtenderem Scholaſticæ Iuventuti, poſse hæc omnia fieri, ſi ſedulitas & docilitas acceſserit. Bonus & verus Magiſter ita erudit juvenes, ut omnibus porri-

gat

gat viam, nec ſuam laudem quærat, ſed cæterorum profectum. Novi me Pauperum Matris DEI Religioſum, novi á primis elementis erudiendam ſuſcepiſse Iuventutem: Scholarum noſtrarum Tyrocinio campum aperio, & non per lytoſtrota, ſed per viam planam duco ad illud Parnaſſi cacumen. In hoc ſi non perfecti viri, ſaltim primò Poetica caſtra ſequentes gratias agent. In libro Epodon fortaſse laxior fui,

qvam

quàm ipſum nomen requirit; Reſumpſi frequentiùs illud Carminum genus, quod legentium oculi, ſive audentium aures libentiùs accipiunt, ſperans veniam, cum in hoc alij etiam Poetæ ſibi indulsêre. Quòd protractior in eodem Epodon libro extiterim, reſpectus & amicæ monitiones fecerunt. Mens mihi fuit ethicis, & politicis immorari, ſed qvia aut majorum veneratio, aut parium amor, honorificam ſui exe-

ge-

gêre mentionem, ab illo ſententiarum pondere ſubinde deflexi, ne vel primorum cultui, vel poſteriorum deeſsem affectui. Ita tamen, ut, ubi ſe materia obtulit, non defuerim maturioribus ſenſibus, eligens, rem non verba loqvi. Sine livore, ſine æmulatione prodeo in publicum, nec detractum eo alienis ingenijs, ut meum attollam. Pro modulo meo literarum famæ accumulo, non qvòd aliqvid á me literis accede-

re

re præſumptuosè exiſtimem, ſed ut aliqvid addam huic fonti, ex qvo hauſi. In publicam popularemq́; viam omnes ſemitæ conveniunt, ſcribentium qvoq́; ſtipes in humani generis ærarium. Vale amice Lector, & imbecillitati Authoris ignoſce.




FA

FACVLTAS
R. P. PROVINCIALIS.

DAtâ mihi poteſtate ab Admod. Reverend. Patre Noſtro IOANNE FRANCISCO à S. Petro Præpoſito Generali Typis edi permitto libros 4. Odarum, & Epodon Librum unum, quos P. BENEDICTVS à S. Ioſeph conſcripſit, quosq; Patres Religionis noſtræ Theologi, quibus id commiſſum fuerat, prævio Superiorum permiſſu, cenſuerunt & approbârunt. Eam in rem ſubſcribo, & ſigno. Varſaviæ, die 21. Martij, Anno 1694.

VINCENTIVS à S. Ioſeph
Præpoſitus Provincialis
mpp.

IGNATIVS à S. Staniſlao Aſſiſtens & Secret. Provincialis
mpp.



APPROBATIO
ILLVSTRISSIMI
Loci Ordinarij.

ANtiqvi & proximi ſæculi egregiam in Lyricis æmulationem bonis moribus convenientem & luce dignam repertam, Admodum Reverendi Patris BENEDICTI à S. Ioſepho Scholarum Piarum, authoritate Ordinariâ probamus, & prælo dari cenſemus.

STANISLAVS

Epiſcopus Poſnanienſis & Varſavienſis.

BENEDICTI
à Sancto
IOSEPH
Scholarum Piarum:
LYRICORUM
LIBER PRIMUS.
MARIÆ DE GRATIIS.
In Varsaviensi Scholarum Piarum Basilica favoribus illustri.

ODE I.

PRistinas nolo Charites, recenti
Gratias nolo veteres opellæ,
Tu mihi Virgo sine labe tactis
Gratia plectris.
Aureum Phæbus licet addat arcum,
Et pharetratis famuletur armis,
Tu mihi fractis potior Virago
Magna Sagittis.
Qvæ Faventina fueras in urbe
Pestilis qvondam domitrix furoris,
Lechico qvæ nunc eadem Patrona
Nosceris orbi.
Si qvis ignavè fuerit jacenti
Langvor, aut torpens hebetudo menti,


Langvidam cura, reſidiq; firmas
Adijce vires.
Me Mariani meminiſſe nôris
Interim cultûs, faciamq;, mecum
Vt Tuis ſupplex aliqvando penna
Accidat aris.
Tunc palam fiet, qvia ſæcularis
Finiam poſtqvam celeuſma Muſæ,
Ad Tuas exnunc operoſa vertam
Carbaſa laudes.

A D
ANDREAM OLSZOVIVM
Regni olim Procancellarium,
Poſtea Archiepiſcopum Gneſnenſem.
Dum Viennam miſſus
MICHAELI I. *Poloniarum Regi*
ELEONORAM *Auſtriacam throni & thori ſociam deduceret.*

ODE II.

PRoh! qvanta demum vecta per exteros
Diſcurrit orbes fama! perambulat
Qvantus maritatas Polonis
Auſtriacas Aqvilis Alaudas
Canitq; rumor. Qvalis ibi Lecho

Sur-



BENEDICTI
à Sancto
IOSEPH
Scholarum Piarum.

LYRICORUM LIBER PRIMUS.

MARIÆ de GRATIIS.
In Varsaviensi Scholarum Piarum Basilica favoribus illustri.

ODE I.

TReissa sic quondam Harpalice fuit
Collecta nodo Virgineos sinus
Castè fluentes, & pudico
Nuda genu, atq; oculos nitentes
Suffusa, spumans sub pedibus cui
Serpens, vel agris de Lybicis aper,
Suspensa cûi simul pharetra
Læve simul iaculum, teresq;
Gestatus arcus; ni Harpalicen adhuc
Supra videri Threijciam velis
O Gratiarum Virgo! formâ
Mænalias superans Dianas.
O Virgo qualem te memorem! Tibi
Mortalis haud vultus: Dea Cælitûm

Vel prima Nympharum repreſſi
Exuvijs celebris draconis.
Armata telis non capreas, aut
Damas fugaces inſequeris, nigrum at
Pythona, qui monſtrum univerſo
Et nimius fuit horror Orbi.
Sis Sancta miles Numinis, & Tuam
Agnoſcat omnis Lechia gratiam,
Peſtemq́; fatalemq́; morbum, his,
Quas retines, prohibe ſagittis.

AD

ANDREAM OLSZOVIUM
Regni olim Procancellarium
Poſtea Archiepiſcopum Gneſnenſem.
Dum Viennám miſſus
MICHAELI I *Poloniarum Regi*
ELEONORAM *Auſtriacam*
throni & thori ſociam deduceret.

ODE II.

PRoh! quanta demum vecta per exteros
Diſcurrit orbes fama! perambulat
Quantus maritatas Polonis
Auſtriacas Aquilis Alaudas
Canitq́; rumor. Qualis ibi Lecho

Sur-

Surgit mariti gloria Stemmatis,
Dum bina Majeſtas in unum
Ducta thorum generis paternos
Permiſcet ignes, miſcet imagines
Ceras avitas orbis & Imperî,
Vrbeſq; diſtentoſq; campos
Vnanimi ſocians catenâ.
Tu, tu ille tantis nominibus novâ
Præſul refulges luce, Prometheus
Tu, tu reluxiſti coruſcis
Sarmatico ſuper axe flammis,
Legate nuper connubialibus
Electe tædis. fædera Principum
Rhenuſq; Vandaluſq; feſtos
Lætus Hymen tibi debet ignes.

PÆAN LECHICVS

Fuſo ad Chocimũ copioſiſſimo Turcarum Exercitu, anno Domini 1673.

ODE III.

TAndem feroces ponere Boſphorum
Minas coëgit Lechus, & ultimâ
Damnavit eclipſi ſuperbam
Sarmatiæ gravis ira Lunam,
Lunæq; cornu. Credite Poſteri
Deſpectiori Biſtonas exitu

Finîſſe nunquam , Chocimenſem
Quàm miſerè referendo cladem.
Sed inde noſtro quæ nova Nomini
Theatra proſtant , quæ ſatis horridos
Luctata per campos perennis
Non recipit monumenta famæ
Heroa pubes ! ſurgite Sarmatæ,
Et Martiarum robora mentium
Nunquam receſſuri decoris
Perpetuâ redimite lauro.
Victor Polonus Strymoniæ abnuens
Ceſſiſſe Lunæ, jam domitum ſuper
Triumphat aſtrum , jam triumphat
Moldavicæ ſuper arua terræ.
Proh! quanta Lechum fulmina Carpathum,
Quanta ac alumnam Martis in Alitem
Educta miluorum caterva
Vulnificis inimica roſtris.
Hinc caſtra vallum munijt hoſtica,
Præceps bicorni hinc amne Tyras : locus
Invitat ad ferrum , & futuros
Ipſe ſitus reputat triumphos.
Sed nec vetuſtâ deſes in indole
Lechus, COMARNI vel NIEMIEROviæ
Memor , CALVSIACÆQVE tabo
Vt Getico maduêre valles,
Vt Sylva palmam pro ilicibus dedit ,
Ad

Ad arma ſummo provolat impetu
  Infractus, & Thraces flagranti
    Elicit intrepidus duello.
Ipſe, ipſe primas Sarmaticus præit
Atlas cohortes, atq; SOBIESCIIS
  Prognatus Alcides Gradivis
    Ante equitum peditumq; turmas
Avos priores atq; Atavos ſuo
Reducit exemplo, armaq; pro fide
  Pro Patria, & quidquid paternas
    Inter habent melioris oras,
Movere ſvadet. ſtridula claſſici
Vox ſtringit aures, tum litui, fero
  Tum concha bombo, clariori
    Tum crepitans tuba clangit ære.
Clamor ſub ipſum tollitur æthera,
Plauſuq; mixtus membra quatit pavor,
  Et bella miles, & frementes
    Quadrupedans equus hinnit iras.
Iam tela ſtrident, evolat alitis
Iam grando ferri, fertur in arduam
  Vtrinq; Mars fervens arenam,
    Et rigidos micat inter enſes.
Horrendioris donec ahenea
Hinc inde nubes creſcere pulveris
  Cæpiſſet, ac à ſulphurato
    Multus ager micuiſſet æſtu.

Et fluctuavit ſanguineæ ſatis
Bellona pugnæ, nec leviter duas
Nutabat hùc & hùc per horas
Ambiguis agitata pennis
Fortuna belli, donec in aggerem
Multo levatum ceſpite Lechicus
Aſcendit heros, ac in hoſtem
Fraxineâ gravis ivit haſtâ.
Hîc jam cadentûm quas ego Biſtonum
Proſpecto ſtrages? quæ Marathonios
Ruina per campos, & ipſos
Quæ facies manet inter hoſtes:
Et quanta diffuſæ inter aheneam
Nubis procellam fulgura Achaicis
Parantur arvis, ſive promptè
Intrepidus MOTOVIDLO Threſſam
Petat phalangem; ſive PISARSCIUS
In non tacendi pectora militis
Excurrat, & fundat cruenta
Egregiam ſuper arma vitam.
Sêu major ipſo, major ab Hectore,
Et Patre magno filius haùd minor
SIENIAVIUS, ZELECCIANIS
Caſtra petat ſtimulatus actis.
Vbiq; fortes non modicus furor
Exercet iras, undiq; Norici
Inſtant mucrones, & revulſis
Tur-

Turget ager tegiturq; truncis.
Hem ! quale munus gloria Littavæ
PAC magna gentis , quale per improbum
Decus redorditur Gelonum ,
Ædonios ubi ſolus ignes ,
Et tela, & arcus, & gravium manus
Suffert Cydonum ? quanta vel indolis
Trophæa VISNIOVIECIANÆ ,
Quæ intrepidi data ſcena cordis,
Dextræq; virtus ? hîc alacres Lechus
Depromit enſes , corpora barbaris
Lituanus hic opponit armis ,
Et geminas calor unus alas
Accendit; ô ! quos non ſtimulos habes
POTOCIANÆ grande decus Crucis,
Invicte Felix, cûi Ducalem
Mars Lechicus dedit ultrò Clavam.
Auditis ! imo poſteritas ſciat ,
Solus vibrantis ſpicula Concani
Subiuit, & Parthos volantes
Preſſit equo, Cilicumq; peltas,
Donec Polonus miles ad impigrè
Luctantem Achillem venit , & hoſtica
In Troia hiantem militaris
Subſidijs animavit ardor.
Tanti caloris ſuſcitat æmulos
Et Frater ignes, quando per aſperos

Hæmiq́;, Cimbrorumq́; tractus
Invehitur, celeriq́; voluit
Bactra ipsa motu. hē ! qui à LUBOMirscio
Non turbo ponto ! quantus in ægide
Discurrit heros ! quantus ipso
Mars residet generosus ore.
Vidit paternam Bosphorus indolem,
Et sensit Ister, dum bene tortili
Instructus hastâ, , vel fugatum
HIERONYMUS premit unus agmen,
Vel irremissis totus in ictibus
Suos in atræ pectore Tauricæ
Demergit enses, & paventes
Sternit Othomanidûm cateruas.
Mirata Classem tunc de OPALENIÆ
Prodîsse puppi famaLiburnicæ.
Et IABLONOVII Leone
Rossiaco tremefactus ipse
Subhæsit Hæmus. LESZCZYNIUS neq́;
Quieuit Vrus. Turris eburnea
Fuit GRIMULTOVÎ nitentes
Cûi clypei galeæq́; mille
Hinc inde pendent. GRUDZINII Pharus
Ostendit ignem, DANIELOVICII
Quam prompta muniuit Sagitta,
Et Tanai Leopardus olim
FIRLEI timendus. CZARNECIUS quoq́;,
Quem

Quem Dana norunt æquora Sueticis
Tentata lembis, transmarino
Non modicè tremefacta vento.
Nec POLANOVI desierat tua
Tonare virtus, BIDZINII excubans
Quid dextra possit, scimus, & quid
MATCZYNII soleatus Ales.
Non molle lignum, non aries leuis,
Sed firma belli machina, Martius
URBANSCII stipes, qui in amplas
Et viret, & viruit coronas.
Et sic aperto pectore Lechica
It fortitudo, sic Dolopes suas
Portant ruinas, sic in ipsis
Fata vident, subeuntq; fossis:
Sic præliares inter anhelitus
Luctatur acer Sarmata, Bistonum
Cæpere sic tandem repressæ
Non leviter trepidare Lunæ.
Talis frementes cum Notus excitat
Iratus alas, piniferas manet
Ruina sylvas, & furenti
Nunc sterilis cadit ornus Euro
Concussa, celsas nunc petit ilices
Nimbosus Auster, nunc Boreæ flabris
Collisa succumbit cupressus,
Nunc validæ cecidêre quercus.

Hîc verò flentis, quas ego lacrymas
Specto Tyranni? dum capitis minor
Videt fatiſcentes cohortes,
Fuſa videt trepidare ſigna.
Inerte Biſton fulmineum manu
Ne tange pardum; non famulæ Iovis,
Fulmenq; portanti minores
Conveniant aquilæ columbi,
Suſpirat. inſtat victor atrocibus
At Lechus armis, & trepidum pecus
Trudit, nec imbelles reſumpto
Bella ſinit renovare Marte.
Ergò futuri nominis immemor
Dat terga victus Maſſagetes, vagum
Iſtrumq; conſulit, volucres
Ergò recens timor addit alas.
Sed quid Polonos luderet ordines,
Pulchrè furentem quidvè ferociam
Vitaret? obvium recedens
Rurſùs habet Geta RADIVILUM.
Quarè reſumptis hîc iterum minis
Deprælantûm iurgia gentium
Moventur, ac utrinq; fervens
Sanguineas agit ira cædes.
In tela, in enſes, impavidum tenet
Pectus RADIVIL, cujus ab indito
Thrax unus ictu, muricato

Aſſy-

Aſſyriè trabeatus oſtro
Letho propinquat ; mox SAPIEHÆ, novo
Mox tota niſu ſigna fugacibus
Inſtant maniplîs, quiſq; ſtricto
In profugos rapiturq; ferro.
Fregit ſuperbæ cornua Cynthiæ
EtDOLSCIANÆ nervus arundinis,
Viſuſq; non feris, ſed ipſi
Indubium dare vulnus hoſti.
Fuêre plures, quos vel amor ſagi,
Vel palma movit, quos Sonipes ſuo
Lituanus hinnitu erudivit
Intrepidos glomerare curſus.
Tum ceſſit Ædon, nec tulit impetum
Proſtratus hoſtis, qui modo Lechica
Virtute fuſus decolores
Ponit humi moribundus artus.
Vel in profundi flumina Nerei
Præceps, avari gurgite vorticis
Abſorptus effudit moleſtam
In ſtygias animam charybdes.
O! quos acervos non tenet oſſium
Cruenta tellus! ſangvine fervido
Quæ ſtagna non undantur! Iſter
Quam ſolidum tenet ipſe pontem
EBarbarorum mole cadaverum.
Ter dena fudit millia Thracici

Polonus hostis, præliarem
Vix aliquo fugiente mortem.
Io ! triumphe ! Threijcij canes
Sui minores, Sarmatico gemunt
Mucrone strati, noster unos
Victor ovans agit io ! plausus.
Io ! triumphe ! Thrax ubi propria
Stativa nuper fixerat ; hìc pias
Dux figit aras, Christianus
Et superos veneratur Hector.
Io ! triumphans Leche per integrum
Incede mundum, nec tua barbarum
Per regna permittas Tyrannum
Fædifrago remeare cursu.

ODE IV.

Omnis mundi voluptas tandem suî nauseam creat.

QVid juvat vastas aluisse mentes
Pingvibus mundi dapibus ? profusæ
Quidvè Fortunæ ? si epulas voraci
Mandimus ore.
Nulla tam mundi placuit voluptas,
Nulla Fortunæ : nimio frequentèr
Quæritur gustu, sequitur sed omnem
Nausea gustum.

Ante-

Antequam ſumas, ſapiunt palato,
Sumpta, crudelem pariunt orexim,
Nilq; tam dulce eſt, cui non acerbus
Inſit amaror.
Quantus in cænam fuit apparatus,
Quando conuivæ Carolo, ſuperbo
Servijt luxu ſatis, & novis For-
-tuna triclinîs.
Non Tagus tantùm, ſed & Afra quidquid
Inda vel tellus tenuit, redundans
Scaldis ac Rhenus, rapidoq; cincta
Tibride Roma.
Orbis in lautas datus immo menſas,
Si qua regnandi ſitis & cupedo
Vſſit, hauriri voluêre plenis
Flumina ripis.
Cæſar indulſit genio, popoſcit
Nec gravem forti pateram Falerno,
Hauſit at lætus nova regna, magnas
Hauſit at arces.
Crederet felix epulo, quod illo
Hauſta cum guſtu recreare poſſent
Regna, ſed tandem cupidè petitas
Reſpuit Vrbes.
Unde quæ quondam placuêre ſceptra,
Non placent ultra, ſoliumq; nuper
Svave vileſcit, modicuſq; pluris
Ducitur hortus.

Lechicæ ubertas quoq; nota terræ,
Vt Ceres nostræ studiosa glebæ
Fertili hâud cedat Lybiæ, tuis nec
Mæsia campis.
Non Arabs dives segetis feracis,
Non solum pinguis Capuæ, Polonis
Plus agris infert, ubi vincit ingens
Horrea messis.
Est frequens piscis fluvijs, natantûm
Est genus quoduis, vacuæ nec unquam
Mitibus stagnis fluitant, nec absq;
Pondere nassæ.
Non aper spumans, variæq; desunt,
Quæ studenr denso nemori ferinæ,
Cervus est sylvis, volucres nec altus
Denegat aër.
Gemma regnorum Lechicum deinde
Creditur regnum; Dea larga gemmam
Hanc propinavit Casimiro, & amplum
Obtulit orbem.
Sumpsit; at magnos stomachi dolores
Sensit, oblatum Casimirus aurum
Gessit, expertus nova sed Lechæi
Tormina regni.
Unde, quod summis aliena curis
Quæritat sæpe ambitio, ille gestum
Ultro deponit diadema, notos
Ultroq; fasces. Præ

Præ Vaticano melius quid ostro?
Cæsarum subdit cui se potestas,
Et genu flectunt Tyrio corusci
Murice Reges.
Hoc Petrus quondam redimitus, omnem
Sæculi visus retinere pompam,
Satq; felices reputatus inter
Degere mensas.
Vidit at temni, doluitq; triplex
Et Vaticani solij corona,
CumPetrus remo posito, quietum
Quæsijt antrum.
Nempe non totum volupe est, acerbis
Quod cocus mundus male condit herbis:
Fel inest melli, retinentq; mæstum
Gaudia luctum.
Cuncta terrarum bonitas amari
Cernitur, quando retinenda primùm est,
Tenta sordescit, neq; nauseante
Fertur in alvo.

ODE V.

Ad S. CAROLUM BOROMÆUM

Insolita luce & Solis non absimili Natalis eius illustratus.

VIx absq; rerum prodigijs erit,
Si quando verus nascitur Hercules,
Et

Et magni Alexandri ſtupente
Uſq; adeo generantur Orbe.
Natura quippe eſt non eadem omnibus,
Sed Mater uni, durior alteri
Noverca, filioſq; cæli
Quoſdam, alios iubet eſſe terræ.
Sic illa tecum non popularibus
Egiſſe cæpit Carole gratijs,
Natale dum ad ſolum repentè
Inſolitæ còiere flammæ.
Et id ſequentis non dubium fuit
Ardoris omen, quo Pháëton novus
Sed ſanctior, deæſtuares
Ad meliùs moderanda puræ
Momenta vitæ. nempe iubet DEUS
Quos eſſe lucis, quos patriam ignium,
Secernit umbris: Solis omnem
Veræ Aquilæ ſpeculantur ortum.

ODE VI.

Ejdem Sancto

Quì puer adhuc tempus à Scholis vacuum, pietati & altariolorum exſtructionibus impendebat.

Hìc nugas pueri ſinant,
Tractat quando puer ſeria Carolus.

Vix

Vix egreſſus ab ubere ,
Et iam plus validis ſpirat Achillibus.
Ingens in puero Gigas ,
Et quem non recrees præcipitis pilæ
Luſu, non teretis globi ,
Non ſtrato levium pyramidum ordine:
Aras exſtruit at ſacras ,
Bullæ Præſuleam ſubſtituens togam.
Vel rurſus Samuel redux,
Vel non abſimilis magno Athanaſio.
Nil ætas minor occulit ,
Et ſe prima ſtatim porrigit indoles.
E cunis ſubitò patet ,
Si natura aliquem parturit Hectorem.
Infans præſtat adhuc ea,
Quæ præſtare gravis debuerat Cato.
Qualem ſe iuvenis gerit ,
Talem non alium ſe ſciat & ſenex.

O D E VII.

Inimicorum lingvæ non curandæ.

ARduum ſentis , quoties malignus
Obſtrepit livor , vel iniqua quando
Lingua proſcindit, nocuiq; more
Sibilat anguis.
Tunè ? ſed primus lacerâre tantæ
Dipſadis morſu , meliore quiſquis

Na-

Natus, & vivit genio, tyranno
Carpitur ore.
Hoc ſcelus vile, & niſi de mapali
Proſpicit caulâ, propriaſq; ſemper
Credit ærumnas, aliena poſtquam
Non metit arua.
Ut quis è plebe eſt, inimica nunquam
Tela vel rarò patitur, vel ipſa
Vilitas illum feriente ſemper
Munit ab ictu.
Magnæ idem menti, quod & altiori
Accidit monti, quia ſæpe fulmen
Sentit infeſtum, validoſq; ſpectat
Surgere nimbos.
Oſſa ſed quidam velut ac Olympus,
Qui ſuprà nubes caput & lacertos
Erigit, nunquam trepidat minaces
Fulminis ignes.
Invidum ſic nec trepidare dentem
Hic poteſt unquam, cui fida virtus
Altiùs ſedit, ſoboleſq; puri
Conſcia recti.
Quæ viam creſcens prope vernat arbor,
Sæpius ſaxis petitur, remotam
Et procul ſtantem peregrina nunquam
Verberat ira.
Sic in obſcuro poſitum loquaces
De-

Deſerunt morſus, petitur frequenter,
Qui coruſcantis ſtetit in propinquo
Limite famæ.
Sæpiùs prædo vacuæ, leviq;
Nil nocet cymbæ; ſit onuſta tantùm
Mercibus navis, ſubitò furentem
Invenit Eurum.
Non rudi qualis reputêre vulgo
Spectat, at quis ſis, tua vita ſoli
Sit tibi iudex, aliena tutus
Deſpice verba.

ODE VIII.

SERENISSIMO JOANNI III. Poloniarum REGI

Panegyris Lyrica

QUod eſt in alto Iupiter æthere,
Hoc Tu per Orbem Sarmaticum; Pater
Eſt ille Diuûm, Tu IOANNES
Rex hominum, Pater atq;, Princeps.
Audetnè tantùm fiſtula ſimplici
Inſtructa cantu? grandiſonis quia

Miſ-

Miſcere ſe tubis , & altâ
Cornua ubi crepuêre voce,
Inter boantis claſſica Lechiæ,
Tentat ſtrepenti murmure publicos
Turbare clangores , & ipſum
Aonio minus apta verſu
Cantare Martem. Non benè luditur
Minore plectro, non tenues benè
Ad barbitos itur , priorem
Quando tubæ rapuère vocem.
Qui ſigna ducit bellica , Patrio
Tegitq; Scuto , ſanguine qui ſuo
Meretur immortale nomen ,
Huîc moduli , modiciq; parua
In penſa nervi. Vel lituis opus,
Vel, grande ſemper quæ loquitur, tubâ :
Tormenta ni boent, modeſti
Vox nimiùm taciturna ſiſtri.

ODE IX.

Bona ſubinde eruditæ mentis conſilia præſtant validiſſimis armis.

OBit Quirini ſæpius arduum
Et lingua Martis munus , aheneos

Editq;

Editq; fortiter fragores
Cecropio remeare fluctu
Assueta Pallas. Nec manus horrido
Instructa ferro semper ad inclytum
Confert triumphum: sæpè sanum
Iudicium meliùs quieto
Inseruit orbi: nec sago opus, togâ
Prudēte quando res peragi potest,
Et arma vix quandoq; docto
Plus poterunt perhibere Conso.

ODE X.

Nemo suo statu contentus.

ÆTerna mentis iurgia, turbidi
Fomesq; belli, cum proprio statu
Si quisq; disquirat, nec ullum
Perpetuis velit esse curis
Subinde finem. Non ubi Caspium
Desævit æquor, non ubi naufragas
Et sorbet & sorptas resorbet
Scylla fretis inimica naves.
Infesta sævi non ubi murmura
Grassantur Euri, plena furentibus
Vel aura debacchatur Austris;

Sed

Sed placidis ubi Tybur arvis
Invitat, & quò Thessaliæ vocant
Amæna Tempe, perge, per uberes
Transiq; campos, & beatæ
In medio Capuæ quietis
Vix ulla spes est, utq; animus suâ
Sit sede lætus. Vidi ego, quos sinu
Fortuna fovit, delicato
Quos & opes tenuêre lecto,
Et illa mollis culcitra desidem
Non passa somnum ducere, pectori
Permissa nox non est amicum
Eripiens oculis soporem.
Vidi, potentes quos properis honor
Evexit alis, Famaq; nominis
Immensa per sublime duxit,
Et medio stitit usq; cælo.
Nec maior istis culminibus quies,
Angusta quàm quos res retinet domi,
Et nuda paupertas per altos
Docta minùs volitare fasces.
Qui bella tractat, signaq; Martij
Subit Gradivi, quas facies timet
Scenasq; bellorum, recurvas
Quando videt rigidos in enses
Coire falces, sarcula negligi
Pinguemq; glebam, rastraq; cassidum
Obi

Obire munus, inq; pila
Agricolas redigi ligones,
Et cuncta cædis plena, vel hosticis
Ardere flammis, vel nisi funera
Instare, crudelesq; mortes
Sanguineis fluitare riuis.
Quàm castra talis damnat, & asperum
Exosus Hæmum pacis ad atria
Suspirat, & dulces penates,
Et patrias vocat ultro sedes.
Idem peractis mox ubi prælijs
Miles petito redditur otio,
Urbemq;, Ciuiumq; turbas
Ac populum videt æstuãtem,
Vel in propinquis aggeribus malum
Pagoq; eodem cum Schario pati,
Et ferre vicinum coactus;
Seq; suumq; simul molesto
Dolore pectus torquet: ut æneum
Ille, ille Martem rursùs anhelitu
Aspirat ingenti, magisq;
Præ strepitu lituos forensi
Audire poscit: nec sonitum tubæ
Ærisq; rauci (quæ tubicen dedit)
Sic signa abhorret, litigantis
Ut gemitum fremitumq; vulgi.
Fuit nec unus, qui steriles diu

Dum

Dum duxit annos, impatiens thorum
Nescîsse, nec blandas mariti
Illecebras, neq; dulce Patris
Cognôsse nomen : mox licitis ubi
Illuxit Hymen tædifer ignibus,
Torusq; iunxit, huîc petitæ
Desipiunt thalami puellæ,
Tædæq; tædet. Spernit adulteram
Iason Medeam : perfidiæ reum
Vel Theseum accusat, suamq;
Damnat inops Ariadna sortem.
Fortuna nulla est, quæ careat suis
Quandoq; morbis, nil fuit undiq;
Nec est beatum; sunt & agris
Frugiferis hyemes iniquæ
Sydusq; torrens, sunt statui novæ
Cujusq; rixæ. Bella Boristhenis
Istriq; quantumcunq; longo
Marte domes priùs, inquietæ
Quàm bella mentis. Crimen id, & nefas
Civile plusquam post dominum sedet,
Post subditum, & regem, nec atras
Vis, quæ abigat, datur ulla, curas.
Natura sic fert, corpore frigida ut
Pugnent in uno cum calidis, agat
Humensq; cum sicco duellum, et
Mollia sint inimica duris.

Pro-

Producta tantam nec dirimet ſtatim
Natura litem : ſæpiùs alteri
Obſtabit alterum , fovebitq́ꝫ
Aſſiduas ſine fine pugnas.

ODE XI.

Non felicitas eſt vivere, ſed nóſſe vivere.

LOngo quis ævo ſplendor ad inclytum
Reptare nomen ? laus niſi in unicam
Deſcendit hæc quercum , perennet
Quòd profugis diuturna luſtris.
Laus vera factis conſtat , inanibus
Non verò faſtis ; tempore providam
Parare famam ſculpta poſſunt
Saxa, homini egregijs ubiq́ꝫ
Quærenda rebus. non benè gloriam
Metimur annis . arbitra nec novum
Conducit ætas ad triumphum ,
Sed meritis decumana virtus.
Eſt vita nobis , eſt animantibus
Conceſſa brutis , eſt eadem rudi
Permiſſa vivendi iuvenco ,
Quæ cuivis homini, poteſtas.
Vivit iuvencus, viuit homo, ſuam
Uterq́ꝫ vitam prorogat , hinc cibum

Et hic, & iſte quærit, uni
Proſpiciunt pariterq; vitæ.
Sed ut iuvenco, cornigero quoq;
Finis biſonti non alius, niſi
Conſervet ut vitam, ſuæq;
Bruta pecus ſtudeat ſaluti;
Sic altioris longè homo ſpiritûs,
Fortuna cûi vix vivere, vivere
Ni ritè diſcat, ſeq; ſemper
Ad minimum moderetur actum.
Non vita, longo tempore quæ ſtetit,
Dicenda vita eſt, qui meliùs dies
Impendit, hic vivit, diurnum
Vel modici ſuperant quadrantes
Subinde tempus. plùs valet unicum
Momentum honeſti, plùs ſpatium bonæ
Unius horæ, quàm probroſi,
Qui vitijs ſtipulantur, anni.
Se quiſq; tantùm negligat, alterum
Nec ſpectet orbem, vilis & in putri
Sordeſcet ignavus ſepulchro,
Et ſtolido miſerè dehiſcet
Cum Marabodo; qui patrio throno
Pulſus, patronas dum profugus ruit
Romæ ſub alas, longiori
Plùſq; ſtudet nimiûm ſenectæ;
Illuſtre nomen perdit, & otio
Mar-

Marcens inerti, non folij memor
Non purpuræve, pro theatro
In tacitis fepelitur antris.
Immenfa verus non ftadia exigit
Virtutis hæres. Agricolæ brevis
Sat curfus annorum; putatur
Innumeris tamen ille luftris
Vixiffe, Nomen fi & præeuntia
Metimur amplæ tempora gloriæ,
Et fi revolvimus, quid intrà
Exiguos operatus annos.
Fax eft honefti, gloria, pectoris
Mentifq; fplendor: miffilis è manu
Erumpit ignis, evolatq;
Æthereis fimilis favillis:
Nec ulla tædæ cura volatili
Paftûs foventis, fêu alimoniæ;
Ardetq; quò maiore flamma,
Hòc citius reperit propinquum
Confumpta finem. Dummodò luceat
Perire prorfùs prompta, diu fatis
Vixiffe fe credens, vel unum
Si egregiè micuit per inftans.
Commune nafci eft omnibus, omnibus
Commune fatum funus, & afperam
Subire mortem, qui recentem
Subftituit moriendo famam,

Hic esse tantùm desinit, integra
Sed vita durat, nec miserabilem
Cognoscit urnam: funeratur,
Seq; novum statuit sepulchrum,
Quicunq; segnis vivit, & insciæ
Fit præda morti, qui nimiùm sui
Oblitus, hâud curat futuros,
Perpetuò quibus exstet, annos.

ODE XII.

STANISLAI LVBOMIRSCII Supremi Regni Poloniæ Mareschalci,
ET
ELISABETHÆ DONHOFFIÆ Regni Succamerariûs Nuptialis pompa.

ACcede Pæan non popularibus
Instructe nervis, intererit novis
Fortuna pactis, quando in unum
Conveniunt duo corda nexum,
Regnumq; amori. nulla mora, ibimus
Ad tanta magni fædera sangvinis,
Lyrasq;, buxosq;, & coronis
Magnificas statuemus aras.
Non illa vanis Euridice Scytham
Ligat maritum nexibus Orpheum In-

Infausta consors, coniugales
Festus Hymen cui mutat ignes,
Et pro fideli fatiferum fovet
Infidus æstum, cum malè lucidæ
Fulsêre quæ flammæ, tenebrarum-
-In comites abiêre noctes:
Fractumq; fædus vel Rhodopeias
Turbavit arces; non socias init
Iasonvè, Perseusvè vittas,
Non miseris Ariadna fatis.
Io! Quirites, connubialibus
Neptunus ardet Lechicus ignibus,
Isterq; Vandalusq; tanti
Non humili celebrate plausu
Momenta nexûs. Ex OPALENIIS
Nuper natabat per LUBOMIRSCIUM
Cymba una Flumen. proh! sepultæ
Mira iterum rediviva Troiæ!
Abrupta classis vinclâ OPALENIÆ,
Et puppe mersâ, Virginis integra
Se forma tollit, proq; navi
DONHOVIAM Sreniava Nympham
Vehit natantem. Dicite, dicite
Stupenda pulchri tempora fæderis,
Ipsæq; tædæ, nuptialem
Ipsa Thetis freme læta pompam.

ODE XIII.

Ad Divam Virginem de Gratiis.

MOderna iam ætas flumina nectaris,
Et illa lactis flumina non habet,
Nec mella diſtillant, ut ante
Ilice de viridi, ſed omni
Succedit auro ferrum, & aheneæ
Venæ metallis: ſævæ hyemes rigent
Pro vere læto, ſanctioris
Inq; locum fidei doloſæ
Fraudes ſubintrant. O! quibus & modò
Exactus annus non tulit aſperas
Crudelis horas, dum maritus
Coniugis exitium, viciſſim
Et hæc mariti quæſijt. improba
Bellona mundum dum crepitantibus
Concuſſit armis, & diremit
A ſocero generum, tenellam
A matre natam: Dum ſepelît ſuum
Germana fratrem, dum genito parens
Superſtes abſumpſit moleſtam
In lacrymis gemituq; vitam.
Adhucq; longè duriùs in dies
Timemus ævum, cum furor & minæ,
Cum dira conſpirat malorum
Et populis inhiat caterua.

O Gra-

O Gratiarum Virgo ! quis æneo
Nos ſolvet ævo ? quis rigido modus
Finiſq; ferro ? tu recude
Hos, ſolidum chalybes in aurum.

ODE XIV.

Multis paraſse divitias non finis miſeriarum ſed mutatio.

QVas tam ſollicitè quæſieras opes,
Iam ditatus habes; non adeò penus
Quandò dives erat, pauperiem premens
Senſit quando neceſſitas.
Damnabas miſeræ iura penuriæ,
Fortunam tenuem, fictilibus quoq;
Inſtructas abacos, & modicis caſam
Dotatam niſi ſarcinis.
Torquebant animum mille moleſtiæ,
Et curæ & gemitus, plena tumultuum
Quævis hora fuit, non deerat timor
Et mentem exagitans dolor.
Nunc, quamcunq; niger colligit in ſuis
Indus littoribus gemmam, & opes tenes,
Theſauros Arabum, quod Babylon, aut
Criſpus poſſidet Æthiops.
Culti magna ſoli iugera, quæ tibi
Findunt mille boves, ſunt quoq; prædia

Centeniq; greges, nec ſeges horreis,
Nec piſcis lacubus deeſt.
Sunt ædes Pario marmore nobiles,
Quas vicina Iovis regia ſuſpicit,
Aulæis paries omnis, & æreis
Fulgens porticibus domus.
Et cum tanta tenes; ſollicitudinis
Nil inſtare putas ? crede mihi; dies
Forſan nullus erit, qui tibi non ferat
Multas ſæpe moleſtias.
Quò quis plura tenet, plura pati ſolet,
Creſcentem ſequitur cura pecuniam,
Et quò vacca magis mugit, oves aût
Balant in medio gregis;
Hòc major reboat mæror, & intimis
Sævit viſceribus, ne medijs lupus
E ſylvis veniens, lanigerum fera
Vel peſtis laceret pecus.
Hîc rimas paries, hîc laquear timet,
Ne fur tollat ebur, neuè Phrygum manus
Quod confecit opus, vel tineæ exedant
Aût incuria ſervitus.
Quò tellus gravior, preſſa ſuâ gemit
Hòc ſub mole magis, promicat altiùs
Ignis, quem levitas neſcia ponderis
Summo ſervat in æthere
Dum Ceſſæ modico prodit ab oſtio
No-

Notus Sarmaticis Viſtula fontibus,
Emanat tenuis, nubiferis neq;
Tundi ſuſtinet Africis.
Sed poſtquam liquidum ſpumeus & Solam
Et Preſmam recipit, dum Donaiecium
Torrentemq; Sanum, dum celerem Bugum,
Et Narvam, & rapidum Nidam;
Nimboſum ſubitò ſuſtinet Æolum,
Auditurq; fragor, quem Notus humidis
Latè ducit equis, quem Boreas nigris
Auget frigidus imbribus.
Mercatorq; miſer cogitur aſperos
Ventorum fremitus ferre, gemit ratis
Quò plus mercis habet, quò uberiùs tumet,
Hòc plus fluctuat & ſeges.
Heu! non fide tuis divitijs, gravis
Illas lictor adit, quidquid enim eminet,
Magnis turbinibus ſubiacet, ingruunt
Summis fulmina montibus.

ODE XV.

Seneſcentium pertæſa felicitas iuvenes ambit.

TE Quintum video quomodo Carolum?
Specto vos varij quomodo Principes?
Dum Fortuna ſenes deſtituit, ſuo
Quos fovit iuvenes ſinu.

Non eſt Auſtriaco majus in ordine
Nomen, non fuerat, quàm Caroli fuit:
Felix dum iuvenis, non eadem ultimo
Nactus proſpera termino.
Olim Roma genu flexerat, & Tagus
Auri quos habuit, detulit alveos,
Agnovit Dominum Rhenus, ad infimos
Orbis ſe poſuit pedes.
Dodona in memores non doluit quoq;
Exſcindi tabulas, quidquid & ilicis,
Et quercùs fuerat quidquid, in inclyti
Iuit tempora Cæſaris.
Illum fama citis vecta curulibus
Terrarum varias vexerat ad plagas,
Illum poſthabito vexit ad ultimos
Plauſus Caſtore limites.
Dum vixit vegetus, deperijt ſuum
Tunc fortuna procum, mox ubi grandior
Ætas incubuit, deſtituit ſenem
Fortuna omnis Adonidem.
Plus ultrà voluit qui tumidus novo
Bellator ſtadium ponere nomini,
Cancrum, PLUSq; CITRA debuit æmulus
Feſſæ pingere gloriæ.
Hinc amiſſà Metis, peſſima priſtinæ
Famæ meta fuit, quam neq; militis

Cen-

Centum belligeri millia, ſtrenua
Nec ferro recipit manus.
Et Saxo inſolitam præcipiens fugam,
Quantus magnanimo ſpiritui pudor!
Henricią; recens gloria Gallici,
Ingens magno animo dolor.
Faſtidire ſuum cæpit amaſium
Fortunæ improbitas, & domini hactenùs
Invicti genius tranſijt ad tuis
Clarum Gallia, Lilijs.
Eſt fortuna Venus, non vetulas amat
Rugas, non ſenium; ſi iuvenem videt,
Affectu rapitur, promit adultero
Et pronam ex animo manum.
Langventes reijcit, vel glacie quibus
Horrens barba riget, quêis baculus pedes
Artuſą; invalıdos ſuſtinet, & quibus
Non eſt, qui fuerat, vigor.

ODE XVI.

Sereniſſimo ALEXANDRO Poloniarum Principi CarmenGenethliacum.

QUæ Pella? vel quæ Regia Principem
Enixa partum? ſceptrigeris novus
Dum vagit è cunis ALEXANDER-
-Lechicæ genitus coronæ. Su-

Suum vocabit Delos Apollinem,
Sed major Infans, & pluviam Iovis
Supra vsq; prolem, fabulosas
Despiciet reprimetq; cunas.
Non Leda Graium barbara Castorem,
Thetisq; Achillem præferet; ad novas
Damnavit hos fætus cavernas
Sors nimijs inimica spebus.
Lucina tantum nobilior fovet
Alitq; pignus, largifluas cui
Fortuna dat dotes ALEXANDRUM-
-Ipso ubi læta perorat ortu.
Nec sola plausum Lechia, at ultimæ
Dedêre gentes: per Lechicos Io!
Et per peregrinos amænum
Io! volat, strepit Io! campos.

ODE XVII.

Fortuna virtute paranda.

SEmel monebo, qui nimia siti
Fortunæ anhelus magnificas cupis
Still re guttas, deq; largo
Poscis opem recre ndus imbre,
Præmitte virtutem, & pluet aureo
Fortuna nimbo, proq; minantium
Fra ore nubium, serenum
Eliciet Dea læta vultum.

Secùs, ſevero torva volumine
Laxabit iras, nec poterit parens,
Aviq; , Majorumq; ſanguis
Præcipitem cohibere Divam.

ODE XVIII.

Monſtrum eſt coli ab exteris, quem oderunt ſui.

SÆpe ſubriſi, quotiès ſuperbè
Quærit externos aliquis fauores,
Nec domi ſecum reputat, quâm iniquis
Naviget undis.
Quid mihi prodeſt, ſua ſepticollis
Roma quod ſternit juga, quod benignum
Monſtrat affectum Tyberis; ſuoq;
Ambiat amne.
Quid mihi prodeſt, ſi aliquando Thuſcæ
Obviam rupes veniunt? quid inde?
Quod Pyrenæi venerantur alto
Culmine montes.
QuodTagus dives, Samoiſq; magno
Impetu currens,Hypanis,Lycuſq; ,
Quid, quod expanſis alienus orbis
Excipit ulnis.
Et Lechus cum ſim, patrijs frequenter
Pungor infelix odijs : amicam

Van-

Vanda nec frontem, placidumq; monſtrat
Viſtula vultum.
Nil peregrinæ ſtuduiſſe famæ
Profuit, ſi intùs animis ubiq;
Tractor infenſis, hilariq; nemo
Aſpicit ore.
Cum quibus vivo, maneoq; ; de me
Iudicent, horum ſtatuantq; ſenſus;
Exteris prorſùs mea credo nunquam
Carbaſa ventis.
Sæpè ibi multi celebres fuêre,
Quos domi nullæ coluêre dotes:
Sæpè ibi dictus leo, quem hîc ſcatentem
Senſimus hædum.
Hêu miſer rumor? miſeriq; famæ
Exteræ folles, alibi faventem
Quærere interdum Zephirum, hîc rigentes
Noſcere Cauros.

ODE XIX.

AD MICHAELEM RADZIEIOVIVM dum S. R. Eccleſiæ Præſbyter Cardinalis renunciaretur,

VT ut minores temnit honor caſas,
Et ruſticano pegmate prodiens
Caulâq; virtus altiores
Non adeò cupiat curules.

At

At ſanguis ingens, & proavis ubi
Illuſtris amplos dat ſtimulos Domus,
Et ipſa virtus erubeſcit
Exiguum fieri theatrum.
Lucina teſtis de RADIOVIO
Id ſpargit Agno, non popularibus
Quod prodit è campis, & illa
Se teneras habuiſſe cunas
Gaudens Honeſtas ipſi etiam movet
Lites honori, cur neget? amplior
Quos ſanguis & dotes merentur,
Quos & Avi meruêre faſces.
Hoc fama poſtquam propoſuit, ſtatim
Se Varmienſis ſubijcit Infula,
Regni ſigillareſq; ceræ,
Et rubeus Tyberis Galerus.

ODE XX.

AD ALEXANDRVM VIII.

Pontificem Maximum, Dum Michaël Radżiciovius Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Romæ diutiùs moraretur.

SAtis, citatis quod tibi paſſibus
Progreſſus Agnus noſter; & Italas

Octa-

Octave ALEXANDER per Alpes
Egit iter, propriæq; portans
Submissa gentis vota genu Patri
Flexit supremo, sat Lechicos ubi
Subiecit orbes, & Ioannis
Prociduo veneratus ostro;
Iam mitte nostras delicias, neq;
Per Vaticanos ulteriùs sine
Hinc inde circumire colles,
Sarmaticæ reducem Coronæ
Da magne Pastor. Si dominâ placet
In Urbe tantùm, per juga montium
Saltusq; pasci, patriosq;
Lechiadûm minus ambit amnes;
Iam grande crimen, jam Lechico nisi
Fomes dolori, cum tamen omnium
Huc vota conspirant, in ipsis
Vt Lechiæ spatietur aruis
Iunossa noster. Non liquidi queunt
Deesse fontes, non tenerum potest
Deesse gramen, ipsa tellus
Et tiliam, & virides Polona
Submittit herbas: se cytisi, crocus
Se sternit ultrò, se violæ, rosæ
Pæstiq; pandunt, vult & hyblas?
Mellifluas erit inter hyblas.
Admitte votum, nec RADIOVIUM
Mo-

Moreris ultra, fidus Epheſtio
Dignas Alexandro notavit,
Nec poterit reticere dotes.
Iam fama noſtris advena finibus,
Vt ante quiquid, quidquid & hactenùs
O! Magne Alexander laboras,
Grandiloquo manifeſtat ore.
Ex Innocentî funere pertulit
Si Roma damnum, iam ſatis omnibus
Nobiſq; conſtat, cuncta mæſtæ
Ottobonum reparâſſe Romæ.

ODE XXII.
AD
MICHAELEM RADZIEIOVIVM
Qui Romæ diutiùs ſubſiſtens, inde tædio Patriæ evocatur, & lætiſſimè excipitur.

SI, vel hyberni remorantur Euri,
Vel nimis ſævæ retinēt pruinæ,
Cedimus fato, neq; deviantem
Cogimus Agnum.
Si nives obſtant, vel hyems ſeuerè
Aſperat blandas glacialis undas,
Si pluit nimbis Aquilo, graveſq;
Decutit imbres,

Ce-

Cedimus fato, RADIOVIANUM
Vi nec urgenti revocamus Agnum,
Hæreat, nec ſe moveat rigentis
Tempore brumæ.
Aſt hyems poſtquam poſuit minaces
Et gelu ſtringens Boreas furores,
Verq; ſuccedens pepulit malignam
Ætheris auram.
Nec tamen noſter redit Agnus, imò
Vota ſuſpenſo reditu preceſq;
Lechicas ludit, Dominâ morando
Hoſpes in Urbe.
Fata nil verſùs querimur, ſed ipſum
Queſtibus lentis laceramus Agnum,
Quid moras nectis? Patrio nec Agne
Siſteris Orbi?
Fama Te primis Iunij quadrigis
Sparſit è magnâ properâſſe Româ,
Iunium præter Iulius flagrantes
Finijt æſtus.
Quin, & Auguſti ſeges inquietis
Fluctuans culmis alacri metentis
Decidit ferro, ſubijtq; largo
Horrea fructu.
Nec redis noſter tamen Agne, prime
Nec redis Princeps; geminat querelas

Ipſe

Ipſe September, quod es & nec iſtis
Agne calendis.
Sed quid humani poterunt labores?
Agnus ex ipſo venit uſq; cælo :
Supplicet cælo, reducem videre
Qui petit Agnum.
Miſimus ſurſùm pia vota, cælo
Supplices dextras dedimus; Deuſq;
Audijt voces, cupidis petitum
Detulit Agnum.
Agnus eſt præſens ; Lechico Ioannes
E Throno prodit, CASIMIRA Prolem
Obuiam ducit, reditumq; ſani
Excipit Agni.
Gneſna lætatur, niveiſq; ſparſum
Lilijs confert iter, & Piarum
Vota procedunt, animi, manuſq;
Læta Scholarum.
Cum ſuas ſoſpes ſubit Agnus oras,
Vivat! & noſter recreetur orbis,
Vivat, & mæſta ſine nube lætos
Tranſigat annos.
Vivat! hoc tactæ ſonuêre chordæ;
Vivat! hoc blandæ ſtrepuêre Nymphæ;
Vivat! & nobis momoretur omni
Agnus in hora.

ODE

ODE XXII.

AD
MICHAELEM
RADZIEIOVIVM
S. R. E. Cardinalem

Dum accepto ad mensam ex posta
Romana nuncio de electo in Præpo-
situm Scholarum Piarum Gene-
ralem, Ioanne Francisco à S.
Petro, *eius rei illico à mensa*
sua inscias adhuc Scholas
Pias Polonas certio-
res reddidißet.

MEnsás secundas Tu CALASANTIÆ
Et grata genti fercula porrigis,
Dum fronte uel blanda, vel illo
Lætum ubivis referente solem
Dignare vultu. Nil poteras tamen
Nil RADZIEIOVI Maxime lætius
Misisse, quàm postquam IOANNEM
Sic supero statuente cælo

Pronisq; votis culmina nuncias
Inîsse nostræ prima Coloniæ.
Id pulchrum & Electo, Tuæq;
Id facinus bonitatis ingens,
Dum Purpuratus significas Pater,
Quæ fausta nobis, quævè Pijs Scholis
Optata pridem. Non frequenti
Regna aliàs populosa plebe
Rectore solùm, non diademata
Gaudent perito. cura minoribus
Est ista cymbis, si carinæ
Egregius moderator, & si
Is ductor adsit, magna biremium
Quem velle moles posset. Honos seu
Det magna seû minora sceptra,
Sæpe virum, solidosq; semper
Quærit lacertos. Relligio alterum
Quæcunq; regnum est: huîc etiam sua
Sunt Sceptra Regno, quæ capacis
Mentis opem, validâq; poscunt
Manu teneri. Nil humiles iuvat
Regnare mentes. Quem sapientia
Vsusq; rerum, quem probatæ
Præficiunt documenta vitæ,
Hic ductor esto noster, hic erigat
In magna sumptos agmina Filios,
Hic CALASANTINOS paterno
Imperio foveat Nepotes.

ODE

ODE XXIII.

Ad Serenissimam CASIMIRAM MARIAM Reginam Poloniæ dum Serenissimo infanti suo materno dolore parentaret.

POne lugubres CASIMIRA planctus,
Pone funestos CASIMIRA questus,
Regiæ nec Te properata tangant
Funera prolis.
Vixerat terris, sed eam coronat
Mors palatinis inopina cælis,
Non dedit tellus, aliam reponunt
Astra coronam.
Solis & lunæ quoties peritus
Spectat eclipsim, geminosq; cæli
Esse non illâ, fuerant ut ante,
Luce planetas.
Non statim prorsùs timet, aut stupore
Obriget tactus: bene quippe novit
Claritas quod sit reditura fratri,
Atq; sorori.
Sic in humanis aliquando rebus
Fata si ludunt, brevibusq; noster
Constat hic cursus, via donat amplum
Altera campum.

Vita si præsens peperit dolorem,
At satis nullas dabit illa curas,
Ultrò pro nimbis paritura sudum
Ultrò serenum.
Regis es conjux CASIMIRA, nostri
Et throni Princeps, animum resume
Qui throno par sit, Lechicâq; dignam
Principe mentem.
Interim trini tibi vota Iulî
Suppleant, magnum reparentq; damnum,
Si quid Augustæ quereris dirempto
Stamine Pubis.
Ille te Ledâ meliore Castor,
Iste Latonâ meliore Apollo,
Ille te Nympha meliore partus
Crescit Achilles.
Sentiet Biston, patriasq; quondam
Flebit in natis redijsse vires,
Sentiet Seres, reducemq; credet
Luna IOANNEM.
At thronus promptis vocat ultrò sceptris,
Quem Patris virtus, parat obsequentis
Urna quem Lechi, parat ipse magni
Sangvinis ardor.
Nos Lechi Patrem Patriæ canemus,
Nos Lechi Matrem Patriæ canemus,
Ambo quod tantâ Lechicas beatis
Prole coronas.

ODE XXIV.

AD
CASIMIRUM
SZCZUKA
Abbatem Paradisiensem.
Trium Poloniæ Regum favoribus Illustrissimum.

PArs magna cæli, Principũ in terris favor,
Prona Throni facies
Favente lucens lumine.
Nam fulminantes rarus hâud sensit Ioves,
Terribilem pluviam
Et torva vultûs nubila;
Regumq; si sunt gratiæ, lentè satis
Ad famulos veniunt,
Sed de recessu cogitāt.
Frequens in Aulis prædo, famæ mercibus
Non vacuam aggrediens
Tandemq; deturbans ratem.
Accline cordis Regij rarò jubar,
Diva potensq; Cypri,
Vel fida lucent sydera.

For-

Fortuna noſtri ſola SZCZUCÆ, illum quia
De ſolijs placidus
Proſpectat adſtringitq; amor.
DumPrincipũ conſtans trium prenſat favor,
Delitiaſq; ſuas
Præſens fatetur Regia.

ODE XXV.

AD
STANISLAVM SZCZUKA
Regni Poloniæ Referendarium, Lublinenſẽ, Varecenſẽ, Vilkienſẽ Gubernatorem.

ET Aula noſtri non aliter patet,
Et cor IOANNIS, quàm cui Martia
Bellona, vel Pallas propinqvum
Pandit iter: dominæq; prorſus
Arcentur omnes limine Curiæ,
Non erudivit quos Helicon ſuâ
Latinus in ſchola, theatrum
Nec rigidus reſeravit Hæmus.
Dioptra quædam eſt, Regia Principum,

Quæ, quàm quid altum, latum, avidè notat,
Longèq; curiosa novit
Per vigiles penetrare crenas.
Vt quisq; parvo judicio valens
Inopsq; mentis, perspicuè statim
Dioptra distinguit, proculq;
A proprio jubet esse centro.
Si quæ Aula, nostri tunc subitò videt
Censetq; Regis; nec lateri suo
Adsciscit, ut quis bucco tantùm est,
E stolidi patriâq; blenni.
Et Phæbus, & Mars egregiam quibus
Instruxit amplè bellicus indolem,
Hos sumit Augustus, Polonæ
Hos adhibet Dominatus Aulæ.
Quàm verò apertis Te foribus Domus
Invicta, pandis quàm capit atrijs
Te SZCZUKA STANISLAE! prono
Quàm Solium recipit favore!
Dum vtroq; Cæsar nobilis, hâud rudem
Seu docta Pallas porrigit ægidem,
Bellona sêu ad arma ducit,
Ferri aciem ingenijq; promptè
Monstras eandem. Sunt, quibus inclyta
Crescit per unas gloria literas,
Et bella non nôrunt, Quirini
Non galeas clypeosq; Martis.

Ple-

Plerisq; contra dextera Norico
Assveta ferro, dum calamum tenet,
Ignara, quid scribat, videtq;
Longè aliud calamum, gravemq;
Tractare sicam. Tu gemino trahis
Ex amne famam, Sarmatici cui
Tàm castra, quàm conclave Regis
Non sterilem peperêre laudem.
Vienna vidit, (subsidiariâ
Cùi ex IOANNIS pene salus manu)
Vt ense, sub ductore tanto,
Vt validâ metuendus hastâ
Infesta Lunæ cornua Thraciæ
Haustoq; plenum sangvine Bosphorum
Adversùs ivisti, Lechiq;
Quò intonuit clypeus Tonantis,
Tu signa tanti prima sequens Ducis
Nunquàm potentem non penes Herculem.
Hinc ille bellicæ decorus
Laudis amor, proprijs tenendam
Svasit cohortem sumptibus; hinc manus
In Martiales prodiga spiritus,
Hinc sermo nullus, quo rigentem
Non memores ubicùnq; Martem.
Conclave magni Principis alterum
Tibi theatrum: quod calamus Tuus,
Quod penna scribit, quod venusto

Eloquitur Tua lingva cultu,
Vulgare nil eſt, judicio Throni
Semperq́ magnum. Non aliter loqui
Beata vellet Svada, poſſet
Non aliam tenuiſſe pennam
Athlante natus. Gratia pulchriùs
Non dixit unquam; non tripodis fuit
Oraculorumvè in loquendo
Nobilior meliorq́ guſtus.
Et id IOANNIS cor Lechici rapit,
Id in Miniſtro ſuſpicit intimo
Monarcha magnus, par utrinq́
Quod gladio calamoq́ grande
Nomen mereris. Nil meliùs potes
Gratumq́ noſtro reddere Principi,
Quàm dum eruditiore penna,
Et pugili famularis enſe.

ODE XXVI.

Optima imperandi ars, benevolentia.

NOn ſi flammivomis tonet
Iratus nimiùm Iupiter ignibus,
Cyclopumvè vocet manus,
Et formet Siculis fulmina malleis,
Non ſi nimbivomis rigor

Effun-

Effundat pluvios nubibus Africos,
Humanos animos ita,
Ac per ſe ingenuam commovet indolem,
Ut lentus moniti modus,
Et ſermo gravium neſcius imbrium.
Eſt popiſmus equo ſatis,
Et non immodici verbera ſtipitis.
Frangi quid teneris iuvat,
Cum flecti poterunt frondibus arbores.
Non incuſſa neceſſitas,
Sed vultus facilis blandaq; comitas
Affectus hominum tenet,
Et fidi ſubicit legibus imperî.
Quò plùs per mare cærulum
Atrocis regimen ſæviat Æoli,
Ventorumq; phalanx agat
Per ſylvas tumido ſtridula ſpiritu;
Hòc murmur nemorum magîs
Increbreſcit adhuc, & reſonantia
Miſcentur prope littora,
Auditur reſonis montibus & fragor,
Pontiq; incipiunt freta
Impendente Noto mota tumeſcere.
Tranquillet faciem Æolus,
Et cunctus pelagi diſperijt fragor.
It prorſùs placidum mare,
Ac gaudent hilari littora murmure.

Acclines Zephiro levi
Sylvæ, quæ validis restiterant Notis.
Unus Deucalio fuit,
Qui, post se varios dum lapides iacit,
Humanum genus excitat:
Una & Pyrrha fuit, quæ reparabilem
Mundum experta. Modò unica
Et saxa, & lapides si iacis asperos,
Auges duritiem, & nova
Humano cumulas marmora pectori.
Subjectum nisi mollibus
Flectas, ad rigidas obriguit minas.

ODE XXVII.

Putare se aliquid, vanus prægnantis superbiæ tumor.

FAlsus, an verus volat iste rumor?
Esse equas amplis aliquas Iberis,
Ex Favonî quæ gravidum reportant
Flamine ventrem.
Concipit simplex animal, graviq;
Sperat immensum de utero caballum;
Hora cum partûs venit, ecce nullum est
Cernere partum.
Mobili tantùm tumuisse venter
Visus è vento, sobolisq; sola
Spes geri & ferri poterat, sed omni-
Evanida fætu.

Sic quibus multo tumefacta sensu
Fama blanditur, propriumq́; lambunt
Qui nimis nomen, referunt inanis
Pignora plausûs.
Serium nunquam pariunt, nihilq́;
Grande producunt, tumidis subinde
Utribus tantùm similes, leviq́;
Undiq́; bullæ.

ODE XXVIII.

Peregrinatio bonæ indolis hominibus necessaria.

VIx vera virtus ducere nobilem
Potest sub uno sydere spiritum;
Pro more cælorum, supremus
Continuo quibus ire motu
Præscribit ordo. Crescit amænior
Et planta longè latiùs è solo
Translata natali; inq́; putrem
Fons etiam liquidus paludem
Abit, si eodem clauditur ostio,
Quod primus ortus contulit. Indoles
Et magna si domi resistit,
Fertilibus sterilescit annis.

ODE XXIX.

AD

LUDOVICUM PLACENTInũ Aulæ ſe accommodantem.

ROburnè triplex, aût adamantinum
Æs ponè pectús, ſaxavè rupibus
Deciſa geſtas? qui minaci
Das fragilem pelago carinam
Tumentis Aulæ. Marmore ductiles
Geriſnè venas Deucalio? trucem
Dum curris in pontum, protervis
Vela parans laceranda Cauris.
Immitis eheu! intolerabiles
Fert Aula Phocas: torva licentia
Quos inde cingit, inde durus
Æoliæ comitatus Aulæ.
Tùm dira Cyclas, tum rabies Noti,
Hyaſq; triſtis, Caſpia tum cohors,
Euriq;, quos vix irretorta
Aſpicias ſubeaſq; fronte.
Tu tanta plenis oſtia carbaſis
Subire tentas unus? & aulico
Securus in freto quietum
Eſſe putas Ludovice portum?

BENE-

BENEDICTI
à Sancto
IOSEPH
Scholarum Piarum.
LYRICORUM
LIBER SECUNDUS.

ODE I.

Rumor Viennam Turcici apparatûs monet.

VTcunq; nomen garruli Rumor gerat,
Et falſa veris miſceat ;
At vix iocandi tempus eſt , aut fabulæ,
Dum ſerium terret malum.
Funeſta triſtis nuncius porto nova,
Ingratus hoſpes auribus.
Crudele bellum Mars Othomanus parat,
Tibiq; maximè Auſtria.
Vulcanus & horrendaCyclopum manus
Incude ſudat in ſua.
Iam ſtridet æs in igneo tinctum lacu,
Cedunt in enſes vomeres.

Genusq; quodvis destinatur falcium
In cuspides & lanceas.
Quidquid nitrati pulveris, vel sulphuris;
In bellicas it machinas,
Tuo Vienna sed malo. Thracem time;
Non vana cudit fulmina.

ODE II.

Obsessa Vienna auxilium IOANNIS III. Poloniarum Regis implorat.

NOn levis rumor, sed & ipsa tandem
Signa commoti monuère Martis,
Ut propinquanti validis resistam
Viribus hosti.
Thracicus rauci canor instat æris,
Et tremendarum sonitus tubarum,
Sæva declarant Dolopes paventi
Bella Viennæ.
Una nec tantùm legio, nec unus
Hostis armatas cumulat phalanges,
Hæmus ac Ædon furit, & cruenta
Induit arma.
Medus haud dormit; quatit acer agros
Ungulâ Biston, manicas minatur
Ferreas Seres, tumidus timorem
Indit Araxes.

Urbs

Urbs, quid in tantis faciam periclis?
Cum volat plumbum, reboantq; diro
Machinæ rictu, pluviusq; sævit
Pulveris imber.
Viribus niti proprijs, & uni
Arduum sanè resilire Thraci,
Quid? tot & tantæ sonuêre postquam
Classica gentes?
Pressa suspiro auxilium Vienna,
Imperî nec sat numerare robur:
Ni manus fortis iuvet, imminentem
Horreo cladem.
Lechici ni me tegat umbo SCUTI,
In dies grandem timeo ruinam,
Hêu! coronatæ properate tandem
Tegmina Parmæ.
Pulcher ad laudem stimulus, futuræ
Uberes campi segetesq; Famæ,
Austriæ pulchrùm sociam petenti
Tendere dextram.
Me iuvat quisquis, sibi servit; omnem
Nam salus multis mea dat salutem;
Regna, si labor, reputent eosdem
Proxima lapsus.
Austriæ nidus ruit, & propinquæ
Horreant urbes; draco quærit offam;
Me voret tantùm priùs ille, totum
Devorat orbē.

Heu! veni SCUTUM, Tibi fata summam
Destinant laudem, quia grande fies
Sic fatiscenti columen, salusq;
Prima Viennæ.

SERENISSIMVS
IOANNES III.
Cum Polono Exercitu ad Viennam.

ODE III.

REx magne, finem non facimus Tuis
Ullum triumphis. Sit Lechico licet
Laus magna nomini priores,
Ad Chocimum revocâsse palmas,
Et sub Comarno vel Niemierovia
Tanquàm trisulco fulmine, Regio
Mugîsse SCUTO; sit potente
In Scythicas tonuisse Parmâ
Laus summa turmas, frænaq; sæpiùs
Dedisse crudo fortia Bosphoro;
Sit Martiali famâ ad ipsos
Sarmaticum retulisse nomen
Illustre cælos: ulteriùs tamen

Le-

Levandus umbo, caſtraq; Martiæ
Movenda Bellonæ; per unos
Sarmatiæ Tibi meta clivos
Eſt parva: ſtrictum non amat angulum
Immenſa virtus; & Macedo ſuæ
Non immemor palmæ, vel extra
Pellam alios ſibi quærit orbes.
Vienna poſcit ſubſidiariam
Obſeſſa dextram: pulchrùm adeo Tibi,
Res Chriſtianas, & Viennam
A tragico relevare caſu.
Ad arma ſævus Thrax Arabes trahit,
Multamq; ſecum commovet Aſiam;
Mæotis, Ædon, ac Araxes
Threijcio ſociantur Hæmo.
Sævit nitratus pulvis, & alitis
Procella plumbi, deq; globis fragor
Incendiarijs reſurgens
Flammivomam prope reddit Æthnam,
Opuſq; Mavors urget, & acribus
Infeſtat urbis mænia machinis,
Ut penè deſperans Vienna,
Nil aliud, niſi terminalem
Sui ruinam reſpiciat, novo
Urbiſq; preſſæ tacta periculo
Fortuna deſperando penè
A trepidis agitet receſſum.

Perculſa muris. I, trepidantibus
Succurre rebus: Lechica poſt ſuum
Ibit Monarcham fortitudo,
Et patrijs animoſa Thracem
Depellet haſtis. Iam video novas
Cælum vel ipſum nectere laureas;
Vel ipſa deſtinare pulchras
Iam video Tibi Fata palmas.
Ivit Polonus Mars Othomanicos
Adverſùs ignes, ivit & ultimos
Caſus revolventi Viennæ
Indubiam peperit ſalutem.
Confuſa cæpit plangere Taurica,
Dum Scuta ſenſit, dum galeas, gravis
Roburq; ferri: Chriſtianus
Aſt hilares ubivis triumphos
Indixit orbis: Famaq; poſteris
Sumpſit canendam temporibus diem,
Quâ noſter obſeſſæ Viennæ
Auxilium tulerit IOANNES.

ODE IV.

AD STANISLAVM IABLONOVIVM.

Caſtellanum Cracovienſem Supremũ Exercituũ Ducem.

HIc verò Lecho te ſpecioſiùs

Im-

Impende Marti Pegase, ſupplicem
Hic verò ſepiam modeſto
Flecte genu, veniamq; noſtræ
Precare Muſæ, quod temeraria
Fortaſſe buxo dicat, ab æneis
Dicenda quæ tubis, vel ipſis
Sint ſatiùs celebranda conchis.
Adhuc per urbes, per gelidas adhuc
Vocalis errat Fama Propontides,
Et lora torquet, & quadrigas
Urget equis, Tyrioſq; comptè
Induta cinctus, & lituo, & tubis,
Et excitatis aſſonat æribus,
Per regna, per gentes, per orbem,
Quavè ſuas mouet Auſter alas,
Sonat per Hebros, & ſuper inviam
Egreſſa Thulen, per Rhodopen canit
Lunas, IABLONOVî vibrato
Odryſias cec diſſe ferro.
At verò tabo Biſtone pallidus
Deſpumat Iſter, Threijcio Tyras
At verò decolor cruore
Horret adhuc, Lechidûmq; grandes
Paveſcit iras, quas Othomanicus
Accendit hoſtis, dum Lechici calens
Amore regni, CAMENECAS
Podoliæ violente ferro.

Inva-

Invadit arces, turpeq́; liberis
Fædus Polonis imperat, & graves
Minatur exitus, Hydaspe
Vendibilem faciendo pacem.
Ergò sarissis, ergo mucronibus
Aptatur incus, undiq́;, & undiq́;
Thoracas, umbones, & enses
Et rigidas crepitare parmas
Gradivus urget. Qualiter igneæ
Sudavit Æthnæ follis, in æmulos
Dum bella Troianos, Achilles,
Vel Danaus repararet Aiax.
Et iam canoro classica murmure
Iussêre pugnas: ivimus, ivimus
In arma, certatumq́; nostris
Pectoribus, quoties paternus
Vocaret ardor: nec tamen hostium
Frigebat æstus, quem furor, & sitis
Immensa sanguinum nefando
Ire iubet super arma nisu.
Credetnè victum posteritas Getam?
Et Tauricani cornua Bosphori
Depressa Mavorti Polono
Ad dominas iacuisse plantas?
Credetnè Seren in lachrymabiles
Ivisse questus? & Cilicum truces
Cessisse peltas, à Ducalis

Oppo-

Oppoſitu graviore dextræ.
Io ! minaci barbaries gemit
Sopita iam ferro. Io ! ſupercilî
Minor, triumphalem Gelonus
Sarmatiæ veneratur orbem.
Dum SCUTA primò ferrea prævius
Educit ardor Regis, & auream
Valere tantiſper coronam
Præcipiens, galeat virilem
In bella frontem; Sceptraq; Martiam
Commutat in clavam, & Mareoticas
Cædes redorſurus, cruenta
Sepoſito capit arma pomo.
Tanquam Coronæ prodroma pulchriùs
Laurus præîſſet; tanquam ebur atrijs
Non ritè regnet, proq; cultis
Caſtra magis teneantur aulis;
Et rubra fuſo ſangvine Purpura
Non Iaſpis ornet. Ponè ſtatim tuus
Se fudit ardor IABLONOVI,
Ponè Tui documenta ferri.
Ut iuncta SCUTO dextera Thracicas
Eliſit Hydras, utq; Boryſtheni
Servo Ukrainenſem recludis
Enſe Barum, gelidæq; nimbo
Regnante brumæ non ſterili manu
Pavołocenſes nectis adoreas,

Et

Et Thraca, Bistonemq; Passam
A Patrijs metuendus arvis
Exesse mandas; pensaq; barbaro
Ferenda Bello, sangvine profluo
Persolvis, in fuso cruore
Aurifluum numerans Hydaspem.
Quò pulchra SCUTUM concitat additis
Bellona flammis, ut vel aheneos
A Marte nitrato fragores,
Sulphureo tonitruq; fætos
Fundat, volanti Mulcibero, focos;
Vel ipsa fractis aggeribus cavæ
In ima fossæ eat, cavernis
Clam pluvias iaciendo flammas;
Vel in potenti milite bellicum
Alat furorem, nec nisi nobiles
Assignet in censum triumphos
Barbaricis genitos ruinis.
Quò fama SCUTI magnanimis volat
Prognata gestis; & Tu eò alacribus
O Magne STANISLAE pennis
Approperas, decorisq; vicino-
-Ornare penso: (nec socium fugit
In laude Princeps, cum neq; Theseus
Deturpat Alcidem; ex eodem
Si geminis fluit amne fama.)
Tu penna Pyrrhi, Tu manus Herculis
Se-

Secunda noſtri : carus Epheſtio
Tu magno Alexandro , Polono
Tu ſocijs Mucianus armis
Veſpaſiano. Quod refugis minor
Recedit undis Boſphorus, arcubus
Quod Parthus haud inſtat , nec atris
Urget Eos violenta ſignis:
Bellona ſævam quòd gravis hactenùs
Removit haſtam , laurigeras ferat
Quod Mars paludatus ſecures,
Proq; ſago trabeam potenti
Aptet lacerto : vinctus atrocibus
Poſt terga nodis, quod rabidam furor
Componat iram, Fas amænum, &
Cana Fides, quod amica , lætis
Se fundat agris ; per Lechicas ſalus
Quod erret oras ; per iuga , per domos
Pax quòd triumphalis ſerenis
Circumeat ſpecioſa bigis ;
Ut prima SCUTI gloria , ſic Tui eſt
Secunda ferri. Se famulus Tibi
Subdit Boryſthenes, minorq;
Thrax poſitis veneratur armis.
Sed quò futuris carmina ſæculis
Dicenda narro ? quò melioribus
Canenda Vatibus , minori
Geſta cano graviora plectro?

Abſi-

Abſiſte plectrum! non levibus lyris
Res tanta, non plectro indiget; indiget
Res Marte non Phæbo: repone
Sollicitas mea Muſa chordas.

ODE V.

AD

IOANNEM MALACHOVIVM
Culmenſem tunc,
nunc Cracovienſem Epiſcopum.

IO Quirites! iam MALACHOVIO
Fortuna nexu Sarmaticos parat
Vincire Culmos; iam iacentes
Frugiferos ſegetem per agros
Stringens acervat Faſcia. Protinùs
Et pulchra Virtus & nova Gloria
Portent in horreum, & repoſtis
Aſſiliant hilares manîplis.
Fæcunda meſſis, cûi ſimilem neq;
Campana tellus protulerat, ſolum
Non Catanenſe, non beata
Dat Siculæ quoq; gleba terræ.

ODE

ODE VI.

Dominantibus, virgâ ſic utendum, ut Iupiter fulmine.

EST tridens latas Domino per undas,
Arcus intonſo nitiduſq; Phæbo,
Aureum ſcutum, rutilanſq; doctæ
Haſta Minervæ.
Ut ſuo quivis agitur furore,
Vindicat raptis violenter armis,
Phæbus inflatam Nioben, ſuperbam
Pallas Arachnen.
Igneum dextrâ quoties ſupremi
E manu fulmen iacitur Tonantis,
Incutit ſanè metum, & univerſum
Territat orbem.
Non tamen ſummam ferit ad ruinam,
Spargit at latum potiùs pavorem,
Quàm ut minabundè velit ultrò cunctas
Tollere gentes,
Ah! ſi & humani ſimilem ſtuderent
Principum faſces retinere virgam,
Pænæ ut ad paucos veniant, in omnes
Gratia cives.

ODE VII.

ODE VII.

Ad honores lentè & per labores ascendendum.

NEmo festino nimios honores
Ambiat cursu, properisq; nemo
Gloriæ votis inhiet superbos
Tollere fasces.
Tutior lentè veniens potestas,
Quæq; paulatim graditur; volatu
Confici nescit, neq; fessa fractos
Obruit artus.
Evolant pulli volucrum, citisq;
Se vibrant alis, simul aura plumatam-
Evocat gentem, tremulis anhelant
Pergere pennis:
Cauta sed mater comitatur, & ne
Longiùs stultæ volitent, iuventam
Alitem sistit, nimiumq; promptas
Temperat alas.
Machinæ belli graviter moventur;
Non statim summum venit ad cacumen
Quercus, aût ilex; citiùs palustris
Crescit arundo.
Ista sed paucis superextat horis,
Vixq; succrevit, patitur furentem

Sæpiùs falcem, ſtipulamq́ ſicco
Se exhibet igni.
Quercus in longum remanebit ævum,
Et licèt multis adoleſcat annis,
Firma ſtat ſemper, ſuperatq́ celſas
Vertice ſylvas.
Firmiùs ſtamus, quoties honeſti
Nitimur fulcro; properata nunquam
Conſulit tutè ambitio, ſuoq́
Deperit æſtu.
Dignitas arctâ ſedet omnis arce,
Et procelloſo manet in profundo.
Ut Tyrum Pellæ iuvenis gregatim
Nonniſi lectis
Impetit ſaxis, lapidumq́ crebras
Admovet moles, operiq́ ſeſe
Strenuo accingens toties adortam
Accipit urbem:
Culminum ſic qui cupit altiores
Ingredi fervens apices, per ipſas
Ambulet cautes, & acuta denſo
Obvia ſente.
Auream vix nunc pecudem potentes
Vel Tagi gemmam capiunt Olynthi,
Per cavas rupes eat, & potentem
Stringet Olynthum.
Herculi non ſat numerare celſum

Ex Avis patrem ; Iovis ille quamvis
Filius, magno nisi parta scandit
Astra labore.
Vix honor tolli poterit, madenti
Ni simul sudor comitetur ore,
Ut quis in summum veniat, peracre
Sumat acetum.
Annibal duras ita fregit Alpes,
Et se ad excelsam stitit usque Romam:
Per stylos, enses, chalybes, coruscum
Quæritur aurum.
Obviam pansis honor exit ulnis,
Sed petit curas, meritumque poscit,
Nec tamen blennos recipit, sed aptam
Undique mentem.

ODE VIII.

Non magni sunt æstimanda, quæ Fortuna ignavis dare solet.

QVod non Assyrius magnificam tibi
Infestet tunicam vermis, ianthina
Insignesque lacertos
Quod non purpura vestiat:
Quod non ad domini servitium frequens
Nutantis maneat iussa, quod aureo
Ostro

Oſtro, & divite Gangis
Gemmâ non niteat domus ;
Audes ſollicitis carpere queſtibus
Fata ,ipſoſq; Deos, ac ſi adeò tuo
Manceps debeat eſſe
Omnis proſperitas iugo.
Neſcis ? vel ſtolidis ingenuam quoq;
Fortunam famulam, quod vel honoribus
Pravum deniq; crimen ,
Et ſummum imperitet ſcelus.
Quos fortuna fovet, largaq; divitis
Circumdat penoris copia , per nefas
Ad tantam penetrârunt
Multi ſæpè opulentiam.
Sunt æterna licèt , non tamen omnibus
Sunt exempta malis : ſcena ſuos ibi
Ludos ſemper habet; nec
Lunæ deliquium deeſt.
Ignavas pecudes immeritæ quoq;
Exornant trabeæ; prodit agreſtibus
Ex campis aries , &
Alto Zodiaco præeſt.
Spes Matris fuerat, ſpes fuerat Patris,
Et conſanguineæ ſpes fuerat domûs
Nonacrina puella
Diro nata Lycaone.
Portabat pharetram , læve manu ſimul

Tendebat iaculum, tergeminæ comes
Dianæ, & sociarum
Ingens gloria Virginum.
Non respexit honor, non micuit favens
Fortunæ facies; sat Scythicæ fuit
Dianæ comitatus,
Nasci & Rege parente.
At postquam vetiti conscia criminis
Ursa ex eximia virgine prodiens
Uncos crevit in ungves
Villis horrida fortibus;
Tunc Divis placuit, tunc per inania
Ventorum rapitur, fitq́ꝫ de adultera
Sidus nobile, Iuno
Et non vindicat invida.
Qui vix serpat humi, sæpiùs ad novos
Excurrit titulos, inq́ꝫ suæ sinu
Fortunæ cubat, amplis
Ponens iura colonijs.
Vix virtus aliquem vera curulibus
Admovit; sceleri summus apex patet:
Sæpè ignobile germen
Ad magnos penetrat gradus.
Claram non Atavis commemores domum,
Nec stirpem tenebris indoleas premi,
Tum quod Stemmatis hæres
Obscuris latites locis;
Tum

Tum quod te tumido despiciant situ,
Qui quandoq; tuis servierant Avis,
Et plebsilla gregalis
Sublimi eniteat tholo.
Indigna est animo cura, superfluus
Ac mentis gemitus, velle regentibus
Obniti Superis, vel
Fatorum premere ordinem.
Non est hîc, nec erat perpetuum bonum
Æternare potens, nulla fuit nec est
Tam constans facies, ut
Rugis non careat suis.
In sylvis putidam conspicis arborem,
Hæc olim viguit: celsicomo tumet
Grandis vertice pinus;
Pinus virga itidem fuit.
Et qui pastor erat, posteritas Remi
Plures nacta Duces, quàm potuit greges
Pastoris baculus, vel
Pauper pascere perula.
Quis non de miseris exul erat Scythis?
Hoc tam vile genus non Asiæ nisi,
Europæq; diremptæ,
Sed multæ imperat Africæ.
Quæ florent hodie, cras malè marcidæ
Calcantur violæ. Frigidior metet
Autumnus, quod & æstas

Vaſtis præparat horreis.
Quid mentem crucias? ſi quod heri dedit,
Aufert hora hodie; quæ dedit, abſtulit.
Si fles, non pietas, ſed
Stultus cor lacerat dolor.

ODE IX.

AD IOANNEM SBÁSKI
Epiſcopum Varmienſem;
Dum Romanæ accingeretur Legationi,
ad Innocentium XI.

ERgò beatas ad Latij domos
Legatus ibis? Sarmaticæ tibi
Sic vota decrevêre gentis,
Sic Lechico placuit Ioanni.
I! nil moramur, Te cupidis Tibris
Expectat undis, qui, placidæ mihi
Ut nuper exſcripſêre Nymphæ,
Ter liquidas agitare ripas,
Ter ſe quieti margine dicitur
Movere rivi. Sacra palatia
Sedis Vaticanæ diſertum
E Lechicis habitura regnis

Spe-

Sperant Cineam. Te iuga collium
Remiq; tellus, Te Capitolij
Arces adorabunt, Tuâq;
Tota fremet propè Roma pompâ.
I! & Innocentî culmina Fasciâ
Accede avitâ, Laomedontia
Locuta sic est svada quondam,
Pensilibus redimita vittis.

ODE X.

AD

STANISLAUM SZCZUKA Regni Poloniæ Referendarium

Natalis SZCZUKOVIORUM *splendor ab ipsis Romanis* Lucijs *originem suam ducens.*

QVis LUCIORUM nescit imagines,
Priscasq; ceras? quivè adeo rei
Ignarus ac expers Quirinæ, ut
Romuleam neq; noscat urbem,
Nec quid Quirites, quid Capitolium,
Quid Martis olim campus, & inclyta
Illa illa Libertas, fuissent,

Quove dein fabricata tanta
Auctore moles, calleat? Aut rudes
Aut in Latinis historijs parùm
Sumus periti, COLLATINUM
Et dominis graviter superbis
Si infesta BRUTUM nomina non satis
Hucusq; scimus. Qui Livium legit,
Is LUCIOS discet fuisse,
Nec modicam peperisse pressæ
Romæ salutem, nubere barbaræ
Fastus parabat quando libidini,
Tandemq; pulsus Consulares
Ingemuit placuisse virgas.
Ivit secundis ivit Ethesijs
Tunc Roma felix! & LUCIIS Honor
Servivit, excelsas curules
Pro solito statuens tributo.
Diuq; dignam prosperitas Domum
Beata fovit, divitias, opes,
Et ferre quæ Fortuna novit
In meritum numerando censum.
Sed ut Coronæ & Regna suos habent,
Patiq; debent maxima limites,
Dum creverint, sistunt, coacta
Aut misero retroire cursu,
Aut de priori culmine flebilem
Subire casum: nullaq; prosperis
Pe-

Perennitas concessa rebus,
Imperiis tacito subinde
Instante fato; sic etiam potens
Illa illa cæpit Roma senescere,
Luxuq; marcens ad ruinam
Continuis properare rixis.
Nam Barbarorum Romuleam furor
Adversùs urbem, nam rabies truci
Armata bellorum tumultu
Intonuit, variæq; signa
Movêre gentes; mota fragoribus
Ut Roma tantis ingemeret, gravem
Belliq; civilis procellam
Nobilitas fugiens, paternis
Expulsa sedem quæreret ædibus.
Quas cuiq; virtus, propitij seu
Dedêre venti, mansit istis
Ausonius decor ille terris.
Prono sed Albis flumine defluens,
Frugisq; tellus & pecudum ferax
Electa LUCIIS, Boemæ
Fertilitas sapuitq; glebæ.
Hinc præter illos, quos habuit Domus
Avita colles, Rastrum etiam additum, ut
RASTELLINI à Rastro, à recenti
Hospitio legerentur HOSTI.
Ignava sed pax non placuit diu

Deſeſq; magnis mentibus otium :
Ad arma quos natura format ,
Fruſtra auidi retinentur ignes.
Ingens ut ille à Balthide ſpumeum
Ad uſq; Volgam, Iſtrumq; volubilem
Victor Ladiſlaus , vocatus
Ad Lechici diadema regni,
Excelſæ ut inſuntRegibus indoles,
Nec ſe quietis marginibus tenent,
Primum coronatæ laborem
Bella ſubit generoſa frontis ,
Promptoſq; ſecum deligit HOSTIOS,
Inde illa noſtræ gloria Patriæ
Effecit Hoſtios fidelem
In Lechia ſtatuiſſe ſedem.
Ac ut Boemus pro LUCIIS ſuos
Sermo vocari fecerat Hoſtios ;
Nativa ſic & lingua nobis
Patritium revocando Raſtrum
Dixit GRABITAS. Hinc Lucius fuit
Quicunq; , rurſus Sarmatico SZCZUKA
Dictus vocabulo, hinc frequentes
SZCZUKOVIIS LUCIIS libelli.
Nec una ſolùm Ruſſia nobili
Telluſq; culta eſt Littava ſanguini ,
Sed Viſſa ubi currens propinquas
Irriguo fovet amne villas,

Hic

Hîc lecta multis SZCZUKOVIIS quies,
Hîc vincta pulchris fæderibus Domus,
Hîc magnus Abbas CASIMIRUS
Conſpicuo reniteſcit ortu.
At lacte puro, & Cecropio quibus
Arriſit olim nectare Ruſſia,
Quibuſq; Principum decori
Per thalamos placuêre nexus,
His Tu vetuſtæ ſtemmata gloriæ,
His plena debes atria imaginum
O Magne STANISLAE! primas
His Abavis Proaviſq; cunas.
Pulchrùm, decoris, pulchrùm adeo Domûs
Ardere ceris, nilq; ſuperſtitem
Illuſtriùs monſtrat nepotem,
Quàm patrijs radiare ſignis.
Sed is ſuperbam iactet originem,
Qui parvus ex ſe: non eget atrijs,
Cui ipſa virtus pro theatro,
Non inopes animiq; dotes.
Et hoc aviti Tu ſine ſangvinis
Illuſtris ortu, RASTRO etiam ſine
Et abſq; collibus STANISLAE-
-Eximius potes eſſe SZCZUKA.

ODE XI.

Deſunt inopiæ multa, avaritiæ omnia.

De-

DEsunt multa inopi, omnia
Sed desunt cupido. Quò quis avarior,
Hòc plus semper eget: miser
Inter divitias, inter opes inops:
Ut quondam Berecynthius
Heros, qui Phrygiæ præfuerat plagæ,
Esse aurum voluit, manu,
Vel quidquid proprio corpore tangeret.
Dant lautas famuli dapes,
Admoto positæ dente nitent dapes.
Poscit pocula cæcubi,
Aurum est ex liquido fusile cæcubo.
Hinc dives simul & miser,
Serò quas petijt, damnat opes; famem
Ingens copia non levat,
Et guttur nimia exuritur à siti.
Nil est unquam avido satis,
Non Tartessiacis hunc saties Tagis:
Hermos hauriat, & rubri
Pactoli latices, maior in arido
Regnat gutture siccitas,
Et maior misero pectore anhelitus.
Tam crudelis opum furor,
Nummi ut crescat amor, sola pecunia
Quantùm crescit; & haud priùs
Humanam fugiunt vota cupidinem,
Quàm vita. Est adeo vorax

Ne-

Nemo, quem positi non superet cibi
Tandem copia multiplex;
At solum cupidùm vox fugit hæc, SATIS.
Novit magna fames modum,
Non nôrúnt avidi, nescit avarities-
-Vasto similis mari,
In quod quò fluidis plura ruunt aquis
Magnorum ostia fluminum,
Hòc plures rapidum poscit aquas mare.

ODE XI.

AD ANDREAM SANTACRUCIUM Legatum Apostolicum in Polonia.

NOn signa Martis, non Aquilas, vetus
Quas Roma quòndam prætulit, Africos
Non nos secuturi Leones,
Sed potiùs veneranda Sanctæ
Trophæa cuncti deligimus Crucis.
Tu SANTACRUCI Dux eris, & novæ
Præibis insignis per omnem

Militiæ Polemarchus orbem.
Mentemnè ludit palpebra? Principum
Vel ſpecto faſces, vel diademata
Regumq; Cæſarumq; , portas
Vel Parijs ſolidas columnis?
Palmare ſignum Crux ubivis: cui
Tum regna flectunt prociduos pedes,
Tum ſumma ſternitur poteſtas
A dominis quoq; fulta ſceptris.
Quid SANTA CRUCI? quid? quoties Tuæ
Vel curioſi reſpicimus Domûs
Inſigne? vel quantum Paternæ
Te faciant renitere ceræ?
Ut ut lacunar præcipuo undiq;
Coruſcet auro, vel bifores ut ut
Ubiq; ab argenti probentur
Luminibus radiare valvæ,
Luxuq; demũ ſplendida regio,
Et gaza ab intrà Perſide fulgeat
Domus, locupleteſq; monſtret
Dives opum paries penates;
Præ ſanctiori nil tamen eſt Cruce:
Fortuna quam vix vidit, & inclyta
Virtus, triumphis deſtinatum
Credidit & tenuit trophæum.
Hinc Mars paternâ de Rhodope, lare
Hinc Phæbus exit de Clario, ſuam
De-

Delonq; deferit, nec arcu,
Nec levibus recreatus haſtis.
Hinc quidquid Hæmus, quidquid amænior
Parnaſſus olim detinuit, Tuâ
Id exſtat in Domo, ſimul SAN-
TACRUCIAM cumulatq; gentem.
Hinc illa laurûm fertilitas, ſeges
Hinc illa palmarum, gladios ubi
Pennamq; Majores ſecuti
Egregiæ ſtuduêre laudi.
Videt penates, plena & imaginum
Honor coruſcans aſpicit atria,
Tholum triumphalemq; ſpectat,
Conſpicuâ ſubitò phaſello
Deſcendit, & quos in tenero ſinu
Habere faſces, quas trabeas poteſt,
Promit, palatinoſq; cinctus
Ac varias adicit curules,
Tantùm beata ſub Cruce quatenus
Poſſit mereri: militiam neq;
Poſcit Camillorum, ultro veſtris
Accumulans ſua vota factis.
Et inde quòd iam multoties Tuo
Se Cardinalis Purpura ſanguini
SubmiſitANDREA, Galerus
Quod toties rubuit, ſatelles
Id ipſe ſemper fecit Honor, cui

Mens prima vel nunc, Te Lechicas adhuc
Quando Vaticanæ per oras
Magnus Apoſtolicæq; Sedis
Legatus & nomen geris, & grave
Pondus miniſtras, Purpureos brevi
Locare Patres inter, ipſo
Id cupidè ſtatuente cælo.
Credisne? dicam: quidquid Honor, Tua
Fortuna quidquid cogitat, impiger
Accede conviva, Innocentî
Non vacuis Tibi præparatur
Murex in ollis: ejus in effluo
Cruore virtus tingere Purpuram
It Cardinalem, prævijſq;
Pulcher Honor meritis miniſter,
Eviſcerato piſce adamantinum
Io! ter Io! protrahit annulum,
Quo Roma Piſcatore Petro
Et ſuperi monimenta cæli
Obſignet & terræ: hunc Italo Tibi
Fortuna ſpondet fida Polycrati:
I! perq; Apenninos honorum
Scande gradus, placidæq; promiſſum-
-Haud temne Divæ. Nos, Tua dum venit
Sub ſigna virtus, dum Pietas novis
Adſcripta caſtris, Fama pulchro
Dum obſequio memoranda certat
Se-

Servire, ſeſe dum ſocium Tibi
Candor fatetur, blandaq; comitas,
Et ille ſinceri propinquus
Cordis amor, famulare nunquam
Nomen recuſamus: iuga montium
Saltuſq; manda, per cava rupium &
Abrupta, non ſegnes Poloni
Ibimus, inq; Pijs manebunt
Hæc vota tandem ſæpè Scholis, quia
Pleno petemus vivere fædere,
Tuoq; Dux præclare quâvis
Imperio ſtatuemur horâ.
Tunc diſcet orbis, nos nihil ampliùs
Quæsîſſe, tantùm conſtet ut omnibus,
Nos & ſub Andreæ, ſacro & SAN-
TACRUCII meruiſſe Signo.

ODE XIII.

AD
IOANNEM FRANCISCVM
à S. Petro, Scholarum Piarum
Præpoſitum Generalem.

CRediſnè? Famæ proſpiciens tuæ
Quod ſepticollis Roma vel Auſone

Im-

Implenda Tibri, Cæninensis
Vel viridi ſatianda campo
Quandoq; terræ? tam modico nequit
Romana virtus ſiſtere limite;
Ultra Palatinum, Sabinas
Ultra etiam volat illa portas.
Nec hæret Albæ littoribus, prope
Vel ſi quid Albam eſt: non Gabiam fuit
Contenta debellâſſe gentem,
Non Metium Metijq; ſedes.
Ultra Pyrenen, Heſperias quoq;
Quâ tangit undas ſol, nitido effluum
Auroq; poſt Tagum it, rebellem &
Imperio reprimit Britannum.
Hinc Scaldis ingens, & rigido ſatis
Rhenus fluento, qui ſobolem probat,
Ut caſta vel non caſta Mater
Hanc liquidis ſtatuiſſet undis.
Hinc qui profundum Danubium colunt,
Novêre Daci, Nominis Itali
Porrecta quò Fama, utq; totum
Circumijt prope ſola mundum.
Et noſtra quamvis Auſonijs fuit
Tentata nunquam Sarmatis enſibus,
Virtute at auditâ vetuſtam
Ultrò fuit venerata Romam.
Sicq; univerſim ſumpta vel ultimis
Si

Si Roma reddi quæſijt axibus
Illuſtris, ambivitq; noſci,
Limitibus tamen illa nunquam
Claudi paternis ſuſtinuit: Tuæ
O magne credis quid Capitolia
FRANCISCE ſuffectura laudi?
Quid Patriam meritis Mutinam?
Si Roma nutrix Te fovet, & ſuis
Perfundit undis ſi Tiberis, neq;
Colles Apennini, Quirini
Sufficiet neq; meta Circi.
Orbem in theatrum poſtulat indoles
Romana ſemper: non alio Itali
Naſcuntur euentu, quàm ut omnes
Contribuant veniantq; gentes
In iuſtà laudum præmia. Quod Iovi
Eſt Creta, Delos quod vel Apollini,
Hæmuſq; Marti, hoc ſepticollis
Roma Italis. Niſi Mars ab Hæmo
Cretâq; prodit Iupiter, & niſi
Eſt Phæbus à Delo; ex Itala quoq;
Sic nobiles tellure tantùm
Proveniunt veniantq; mentes.
At Creta magno ut non ſatis eſt Iovi,
Phæboq; Delos, ſæpiùs integrum
Diſcurrit hìc & hìc per orbem,
In varijs poſiturus oris
Tro-

Trophæa famæ : ſic quoq; ſepticeps
Non Roma vobis ſufficit, Itala
Non ſufficit tellus: decorum,
Sarmatico quoq; ſi Trioni,
Si veſtra Lecho nomina Carpatho,
Baltiq; , pulchræ creditis integram
Laudiſq; virtutumq; claſſem : &
Hîc Helicon, ſua non profanis
Hîc penna factis : hîc etiam indoles
Eſt illa nobis, progeniem quia
Amare Romuli, tributo
Nec meritæ ſpoliare palmæ
Studemus ullum. Tu reſono quia
Es prima plectro materies, quia
Director es ſummus Piarum
Præpoſituſq; Pater Scholarum,
Audi, Polonas quod reſonat dein
Io per urbes! quodq; tui ſtudens
Teſtudo promit, filialis
Et quod amor ſtimulante dictat
Subinde Phæbo. De cerebro Iovis
Natam Minervam credidimus, Tua
Eſt interim FRANCISCE Pallas ;
Pierij ſacra turba Pindi
Te faſſa Vatem. Rumor in ultimum
Progreſſus orbem, Pegaſeo canit
Stagnare Te ſemper liquore, &

Cecropijs dare iura Divis.
Adeſt Atlantis Mercurius nepos
Ac erubeſcit, ſi quoties tuo
Non ſcripta conceptu miniſter
Iuſſa refert, volucreſq; plumas
Vibrare non vult. Dum calamus tuus
Dum dextra ſcribit, Roma venuſtior
Te ſæpè adorat, & Quirini
Ire iubet ſuper ora vulgi.
Imò ipſe magnus quem Macedo ſuum
Novit Magiſtrum, ac Angelici Thomas
Ille ipſe non ſimplex Aquinas
Ingenij, Tua dum ſtudentis,
Et dum docentis pulpita viderit,
Ex Te triumphat diſcipulo, novæ
Gaudetq; ſucceſſiſſe palmæ, &
Omnigenæ in ſtudijs coronæ.
Et nos remoti ſcimus, ut erigit
Ipſe ipſe gratam Pantaleon manum,
Quod liber à cenſu propinquæ haud
Ulteriùs teneatur ædi.
Scimus, IOSEPHUM quo CALASantium
Labore donas, ut radijs DEI
Servus coruſcet, & beatos
Cælicolas numeretur inter;
Quos hîc agendo non levis æmulus
Expreſſit olim: peſtiferi mala
Fe-

Ferendo mundi, vel nefandas
Invidiæ comitantis iras.
Scimus, IOANNI quo ſtudio Piæ &
Fervore quanto ſervierint Scholæ,
Primam vocantes ad curulem
Ut paribus ſtuduêre votis.
Ut ipſa demum Iuſtitiæ Tibi
Dilecta virtus, ſanctaq; Charitas,
Et ut gubernator ſupremus
Has geminas adhibes ſorores:
Ut eruditæ tam caput erigunt,
Quàm forte collum Te Duce literæ;
Et ut ſcholaſticæ Tuis ſub
Auſpicijs dominantur artes.
Iſta, iſta ſcimus, nec tacitæ invidi
Damnamus umbræ; ſi quid ego, mea
Si Muſa quid poteſt, ſonantis
Obſequio celebrabo conchæ.
Et noſtra nomen non ſterilis Tuum
Canet iuventus, quâ calamis ſuis,
Quâ voce plectri; quippe noſtri
Regna tenes Pater alme cordis.
Quod ſi ſupino ſegnis in otio
Marcebit, addam calcar, & impiger
Præibo Vates, impetuq;
Ipſe adigam, ipſe adero Magiſter.

ODE

ODE XIV.

Cui cum paupertate benè convenit, dives est.

NOn cui innumeris impletur dives arca nummis
Fulvoq; menſæ promicant metallo,
Non quem mille boum recreant iuga, tot ſimulq; aratra,
Pingueſq; campi, fertileſq; glebæ:
Non Phrygijs innixa cui domus eminet coloſſis,
Pictiq; plenum marmoris lacunar;
Sed cum paupertate ſua qui convenire novit,
Nec plus eò, quod poſſidet, repoſcit;
Hic verè eſt dives, magnis par ſemper & Lucullis,
Nulliq; cedit propriam quietem.
Pauper; non qui pauca tenet, ſed plura qui requirit,
Immenſa quem torquet ſitis tenendi.
Pauper; multa ſatis quem copia non facit beatum,
Modumq; neſcit exigens palatum.
Nam quid plena penus prodeſt, quid & arca copioſa?

Superba quid gazæ iuvat ſupellex!
Si non acquiſita, ſed acquirenda computantur,
Fænuſq; tãtùm eſt, quod poteſt deeſſe.
Divitijs modus hic primus, ſi plura non petuntur,
Svadere ſolùm quæ ſolet NECESSE.
Cui SATIS eſt, hic Craſſos vincet, & inquieta mæſtam
Torquere mentem neſciet cupedo.

ODE XV.

Livor in ruſticis caſis non habens locum, ad Aulas refugit.

IVit per Orbem livor alacribus
Vibratus alis; ivit, & ultimam
Egreſſus ad Thulen quietam
Perpetua ſtatione ſedem
Inter mapales quæſijt angulos;
Sed è mapali turpiter angulo
Expulſus, incertum deinde
Quas volitet vagus inter oras.
Ut quiſq; vilis, temnit, & inuidum
Excludit arctis ſedibus hoſpitem,
Nec caula pauper, nec caſarum

Vile genus, tuguríq; parcè
Congeſta molli culmina ceſpite,
Vel tecta iuncis texta paluſtribus
Dignantur, arcetur modeſtâ
Ut rabies furibunda ſede.
Tentare plures vellet adhuc plagas,
Fallente verùm quò niſi tramite
Erraret, aùlarum potentes
Cum ſatiùs retinebit arces,
Et plena eorum tecta ſatellitum,
Quos maximorum gratia Principum,
Ardorq; creſcendi còégit
Sollicitis inhiare curis.
Ibiq; tantùm vix ſtetit, intimis
Admiſſus exnunc eſt penetralibus,
Et ſorte lætus, hæc tumenti ad
Inuidiam prope iactat ore.
Utcunq; viles deſpiciant domus,
Et ruſticanis non benè conſitum
Mapale cannis; è penate
Magnificis radiante ſceptris
Nec arma pellent. Hîc mihi Patria,
Hîc regna. Tentas quiſquis ad aulicum
Venire limen, i! in potentem
Livor ero tibi ductor Aulam.

ODE XVI.

Non

Non Aula, ſed in Aula commorantes livori ſtudent.

QUouſq; demum cor lacerantibus
Scindar querelis? nec malè garrulam
Expungo linguam, virulento
Quæ toties animum malignè
Transfigit ictu. Tædet & aureis
Pollere tectis, præ foribus ſtatim
Si inuiſus excubat ſatelles
Livor, & eximias potentûm
Si pulſat arces undiq; Principum.
Ac ſi vel ipſas Rex ſit in indoles,
Qui ſceptra, qui thronum gubernat,
Nec potiùs famuli reatus
Eſt, ſi eminentis culmine Curiæ
Ignorat uti. Per ſcelus aulicos
Immane quæritis fauores,
Et miſeram laceratis Aulam,
Regumq; famam. Portat hic ambitum,
Hic invidentis vota libidinis,
Ille ille livorem, ſceleſtos
Iſte dolos, tacitaſq; fraudes,
Et damnat aulam. Credite, credite,
Nil Aula pecco: vos ſceleri modum
Inferte, vos finem furori, &
Innocuam ſciet orbis Aulam.

ODE

ODE XVII.

Ipſum nomen grandius iniuria eſt, ſi plùs exhibet, quàm facta doceant.

NIl iuvat pulchrum retinere nomen,
Turpibus quando maculatur actis;
Nil cani magnum iuvat, & minori
Vivere laude.
Hic Alexander vocitatur, iſtam
Angelam dicunt, tamen & nec illi
Bactra ſuccumbunt, aliquâ nec iſta eſt
Angela dote.
Gaudet hic Firmi titulo, probantur
Nec tamen firmæ documenta vitæ:
Proſperi, Proſper licet alter, omni
Nil agit horâ.
Nominum grandes nocuêre faſti,
Si nihil fauſtum tenuêre mores.
Detrahit famæ, qui aliam refert, â
Nomine vitam.
Ut probro nanus ſibi ducit, ipſum
Dicit ingentem ſi aliquis Gigantem,
Sic & hi, fallens ſi aliquando ludit
Nominis echo.

ODE XVIII.

In degenerem Magnæ Domûs Filium.

Avorum virtutes, non semper transeunt in Nepotes.

QUod sæpè narro, rursùs idem cano:
Nil plena prosunt atria imaginum,
Quas aut Avi, aut magni Parentes
Parietibus, patulisq́; pictas
Portis relinqunt. Sedula strenuæ
Ut quisq́; tantùm regna modestiæ
Admisit in pectus, novisq́;
Applicuit genium trophæis
Illustris hæres, hic Latijs micat
Omnino Gracchis pulchriùs, eminet
Hic maior Augustis: perennes
Vix alijs adeuntur arces
Et castra famæ passibus, intimis
Quàm si medullis & probitas manet
Admissa, & indoles honestæ
Egreditur studiosa vitæ.
Secus, per ædes qui nisi respicit,
Et de paterno stemmate gloriam

Me-

Metitur, in ſuiſq; deſes
Nulla iacit monumenta factis,
Inane lignum eſt : cui galeas licèt
Et tela & arcus, & clypeos quoq;
Appendis , & multo undequaq;
Conſpicuas chlamydes cruore,
Inane lignum , non ideo tamen
Truncuſvè dici deſinet. Arboris
Et ſangvinis par ſors , ut illa
Quò ſenior magis & vetuſta ,
Hoc certiùs nil, quàm cariem timet
Sentitq;: ſic & ſanguis ut ut calet,
Defervet ætatum per ipſam
Uſq; adeo ſeriem , ſuiq;
Parùm relinquit vel nihil. Herculem
Nil eſſe magno progenitum Iove
Iuviſſet , in cunis minantes
Ni intrepidus laceraſſet angues,
Et fæda terræ monſtra : velutq; aqua
In fonte primo quæ riget , ultimis
Miteſcit in venis , & ipſa
Quò ulteriùs proprios propagant
Fluenta curſus, hòc citiùs ruunt
Ac detumeſcunt : ſic generis decor
Magniq; natales frequenter
Per nimiam minuuntur augem.
Non gleba tantùm vilis inutiles

Producit herbas : est lolium suum
Et nobili solo, bonusq;
Sæpe Parens vitiosiorem
Prolem relinquit. Magno etiam Iovi
Non semper ingens nascitur Hercules;
Martemq; qui priùs, bibonem
Mox iterum parit ille Bacchum.
De Patre frustra, deq; Abavis tumes
Ignave Fili. De propria adijcis
Virtute si nihil, dolendum!
Ipse tuos sepelis Parentes.

ODE XIX.

AD

FELICEM POTOCKI
Palatinum Cracoviensem
Exercituum campi Ducem.

POTOCCIANA CRUX *palmare Polonis signum.*

SEmpernè mæsti nuncia temporis
Erraticorum lumina syderum
Immanè nictabunt? nefasta
Parrhasias feret Ursa nubes

Sem-

Semperne noſtræ in climata Lechiæ?
Nec ſurgit æther lætior ignibus,
Nec noctis authores opacas
Fulgidior fugat axis umbras?
Io! Poloni luminis æmulas
Proſcribit umbras POTOCIÆ Crucis
Novum ſerenum, fauſtiora
Inq; ſuo vovet aſtra ſigno.
Quod non Bootes, non Getico calens
Ardore vincat Luna, quod impio
Maxentius congreſſus auſu
Depoſitis benè ſenſit armis,
Et ſentit hoſtis barbaricus ſuo
Hucuſq; damno, dum tragicas niſi
Refert ruinas, tanta quando
Crux Lechicos animat manîplos.

ODE XX.

AD STANISLAVM MALACHOWSKI Palatinum Caliſſienſem.

TU, tu illa magni ſanguinis indoles,
Tu, tu illa firmis Faſcia nexibus,
Palmaſq; pacataſq; lauros,
In ſocios cumulas manîplos.

Tu Neſtor idem, qui crepitantibus
Aiax in armis, & malè ſtridulas
Elidis Hydras, & diſerto
Attonitum trahis ore vulgum.
Et ſic agendum, ſi memoris trahit
Cupido laudis: vel gladij ſtylus,
Vel penna ſignet, cùm ſequentes
Hac methodo decoramus annos.
Strictis ligari fæderibus volunt
Et Phæbus & Mars, nec fera paginam
Vagina proſcribit, ſed unum
Caſtra tenent utriuſq; collem.

ODE XXI.

STANISLAO
Decano Gneſnenſi
ADALBERTO
Decano Louicienſi
FELICIANO
Capitaneo Goſtinenſi

IACO-

IACOBO
Pincernæ Zakroczymēſi

KRAIEVSCIIS
Uterinis Fratribus.

VT Latona ſolet, laudet Apollinem
Alcmeneq; ſuum prædicet Herculem:
Ut vult, iactet Achillem;
Non æquat KRAIEVIS Thetis.
Felix tum genitor, tum genitrix quoq;,
Quod tantâ Lechicum progenie polum
Diſtinctis velut aſtris,
Stellarumq; beant choro.
Bis terni ſuperas iam retinent plagas,
Ad quorum tumulos triſte ſilentium
Non hæret, ſed abunda
Ampli copia nominis.
Bis bini remanent, quos ſuper æthera
Virtus ipſa levat; quos geminis veho
Mecum Fama quadrigis
Clangentes adhibens tubas.
Quot matres alibi, quot miſeros patres
His & præteritis cernere ſæculis
Mæſtus debuit Orbis,
Lugens paſcere Patria,

Dum

Dum vel desidiâ se malè pervicax,
Vel turpi maculat filius otio,
Post dignosq; parentes
Stultus degenerat nepos.
Et quas à Proavis, quas ab Avis habet,
Has in continuis haurit opes scyphis,
Utq; ipsis sceleratus
Hæres, sic pariter sibi.
Magnus, qui patrias servat imagines,
Maior, qui auget adhuc: de proprio addere,
Et se ostendere factis,
Veri gloria Nobilis.
Dignos nostra canit concha KRAIEVIOS,
Quòd cum plenâ Atavis proveniant domo,
Credunt se nihil esse,
Ni virtute refulgeant.

ODE XXII.

Optimùm est spernere, quidquid assultat.

VIstulæ nostri rapidiq; Narvæ
Et tumescentes reputans aquarum
Vortices, vidi, quid iniqua demum
Non agit unda.
Classicum ventis canit, & minaces

Undevis cogit violenta fluctus,
Obvium quidquid rapit, & furente
Occupat amne.
Ac ubi largo magis aucta crescit
Imbrium lapsu, pluviæque ab altis
Montibus vires veniunt, & udi
Copia nimbi,
Tunc dat ingentem strepitu fragorem
Impetu currens vehementiore,
Tunc, redundanti ruit in propinquos
Gurgite campos.
Et quod agrestis seges inquietis
Nata sit tantùm titubare culmis,
Primus in culmos segetesque latæ
Impetus undæ.
Hinc quod abduci videt & moveri
Posse, festino movet unda cursu,
Ut casas viles, humilique tectas
Stramine caulas.
Quodsi in Alpinas eadem subinde
Incidit rupes scopulosque lympha,
Sique robustam reperit gravique
Pondere cautem,
Assilit velox quidem, & impetenti
Pugnat interdum similis, sed & tunc
Nonnisi allidit, caperetque quamvis
Lædere, ludit.

Nem-

Nempe robuſtæ gravitas modeſtam
Efficit molis generoſa lympham,
Ut nihil poſſit, redeatq; vano
Spreta tumultu.
Id fit in noſtris animis frequenter,
Ut quis è limo eſt, faciliq; molle
In lutum gleba, modicis liqueſcit
Illicò guttis.
Ut quis exili paleæ leviq;
Pulveri compar, minimo movetur
Protinùs vento, tenuiq; prorſus
Sternitur aurâ.
Non ſtatim cedunt animi valentes
Æolo cûivis, rationis illis
Eſt ſuum pondus, ſtabiliſq; firma
Robora mentis.
Bella commotis agat undequaq;
Fluctibus livor, gravibuſq; pravi
Æmuli certent odijs, & acris
Cuſpide linguæ.
Qui poteſt ſêipſo propriæq; fulcris
Stare virtutis, minùs invidorum
Hic timet motus, quia tutus omnem
Excipit hoſtem.
Tela ſi pugnant inimica, parvum
Vir probus ſentit reputatq; vulnus:
Et licet ſentit, tamen ille nullo
Læditur ictu.

Qui

Qui ſemel mortem didicit vel ipſam
Temnere, & temnit, ſubitò minarum
Ridet inſultum, invidiæq; quaſvis
Deſpicit iras.
Fruſtra ab obtuſis trepidamus armis,
Arma vim perdunt ubi cuſpidata;
Fruſtrà hebeſcentem metuit, qui acuto
Non perit enſe.

ODE XXIII.
AD
VESPASIANVM KOCHOWSKI
Nobilem rerum Polonicarum Scriptorem.

QUæ penna? vel quæ ſepia Lechico
Deſudat orbi? Sarmatiæ nova
Quis ſcribit & ſignat futuris
Geſta ſtylo relegenda ſæclis?
Ventura quæ poſt tempora poſthumis
Mirentur annis, & doceat ſuos
Ævum ſecuturum nepotes
Hiſtoricum relegens volumen.
Audite! dicam, KOCHOVII manus
Et penna tanto nobilis à ſtylo.
Hic Scriptor, hic in eruditis
Sarmatîæ notat acta chartis.

ODE XXIV.

IOANNI IABLONOVIO
Vexillifero Regni

E T

IOANNÆ MARCHIONIS
de Bethune Filiæ

Inter Geniales plausus
Epithalamicum votum,

EDico ſponſis vota, vel ultimus
Quæ diſcat orbis, diſcat ad æreas
Evecta Gadium columnas
Cærulei vetns ora Glauci.
Veſtræ laborant ſæcula gloriæ,
Vobis beatæ plurima circumit
Caterva ſortis, & notantur
Perpetui ſine nube ſoles.
Vos ad paterni ſtemmata ſangvinis
Magnas Nepotum addetis imagines,
Vos prole ſublimes futuris
Fulcra Domûs parietis annis.
Vos vincta pulchro nomina fœdere,
Vos, o! Poloni ſydera climatis
Vivetis ætates, & auro,
Et ſolidas adamante luces.

ODE

ODE XXV.

Quamdiu æquor mundi navigamus, tamdiu fluctus.

MUndus Euxino ſimilis, mariq́;
Caſpio, ſævis agitur procellis:
Ut quis huc tantùm ſubijt, vadoſum
Invenit æquor.
Semper hìc fluctus, reſonantis undæ
Dira vertigo, rapidiq́; ſemper
Vorticis pugnæ, gelidiq́; cruda
Claſſica venti.
Scylla trux unum latus, & Charybdis
Alterum cingens metuenda, magno
Sæviunt motu, varioq́; replent
Cuncta latratu.
Non ab infeſtis aliquam quietem
Africis ſperes; Aquilo feroxq́;
Eurus hîc ſtridet, tumidiq́; frendent
Murmura Cauri.
Navis humanæ miſeranda vitæ
Se freto credit quoties, furentem
Æolum ſentit, tremuliſq́; pergit
Anxia velis.
Lætius quòd ſi reſerat cubile
Phæbus, & puro micuit ſereno,

Heu! nimis ſudum breve, blandienſq;
Decipit aura.
Rurſùs horrendis inimica nimbis
Bella tempeſtas movet & movebit,
Rurſús immitis ſubeunda rurſùs
Prælia ponti.

ODE XXVI.

AD
STANISLAVM KRAIEWSKI
Decanum Gneſnenſem,
Tribunalis Regni
Præſidentem.

VT Themis quondam lachrymata dixi,
Ut Themis quondam querulata flevi,
Non queror iam ſic, quia non malignà
Opprimor arte.
Nuper immenſis dominando terris
Meq; regali trabeando ſumptu,
Ad caput ſerto, adq; manum potente
Splendida Sceptro,
E paludatis malè pulſa tectis,
Atq; conceſſos dare iuſſa cinctus,
Quas tuli leges, dolui ſceleſtæ
Cedere fraudi.

At

At modò primæ rediêre ſortes ,
Et profanatæ renovantur aræ,
Iura cum ſpecto KRAIEVIANÆ
Credita CLAVI.
Ruſticas erró minimè per ædes,
Nec per ignotas vaga vector urbes,
Quò feror tantùm, veneratur omnes
Lechia faſces.
Hîc vel obſcuro licitum mapali,
Vt ſuas preſſum recitet querelas,
Ac Herum dicat, quoties gravantem
Suſtinet Aulam.
Hîc heró fas eſt, quoties rebellem
Subditum ſentit, recitare quantùm
Subditus peccat, Dominumq; quanto
Aſperat auſu.
Si quis ereptos patitur penates,
Vel datam venum gemit ire famam,
Promat hic vulnus, ſi aliquando ſtricto
Scinditur ore.
Nil ſciet clauſum, referetq; pænam,
Si vel erravit Dominus, vel audax
Subditus læſit, vel iniqua ſi quid
Deviat ira.
Hîc ad ereptam licet ire villam,
Hîc laceſſitum reparare nomen,
Hîc ab inflicto poterit repoſci
Pæna dolore.

Sicq;

Sicq; dum ſpecto mea iura reddi
Priſtinæ formæ, repetiq; leges
Quas tuli quondam, meliore nolo
Vivere ſæclo.
Millies dicat mihi iura, rurſus
Millies dicat, voveo, redibunt
Sceptra ſub tali, repetentq; raptum
Iudice Regnum.
Millies dicat mihi iura; laurus
Fracta quæ quondam, meliùs vireſcet,
Inq; maiores veniet ſub iſto
Iudice frondes.
Millies dicat mihi iura, tunc ſpes
Creſcet ereptæ melior coronæ,
Tunc reaſſumet temerata primum
Purpura vultum.
Atq; ſi Tuſcas etiam ſub Alpes,
Vel peregrinas properabo Gades,
Ultimas vel ſi Tyrii ſubibo
Climatis oras,
Reſciam tantùm KRAIEVIANÆ
Iura quod CLAVI data, nil morata
Deſero Gades ſubitò, remotam
Deſero Thulen.
Imo ſi celſos habitabo cælos,
Et ſciam tantùm KRAIEVIANÆ
Iura quod CLAVI data, tunc vel ipſum
Deſero Cælum.

BENEDICTI
à Sancto
IOSEPH
Scholarum Piarum

LYRICORUM
LIBER TERTIUS.
ODE I.

AD
STANISLAUM SZCZUKA
Regni Poloniæ Referendarium.

Pulchrum bellatricis Domûs testimonium in expeditione Viennensi septem simul SZCZUKOVIOS *militasse.*

SOror Gradivi non reputat quot, &
Quantinè pugnent, cui satis est, potest
Si scire, quales. Bella nempe
Non numero, sed agente fortis
Virtute constant militis. Attamen
Roma illa pulchrum censuerat suæ
Quandoque genti, dum phalanges

Ex Fabijs numeravit ipsis;
Dum tota quondam castra sequentibus
Nec tanta cessit fama Quiritibus,
Vt sanguis unus in Veientes
Patritijs tonuisset armis.
Pulchrum Polonis & chronicis decus,
Conscripta solis qvando Toporijs
Vexilla septem, totq; strictas
Enumerat Cromerus secures.
Et SZCZUCIANIS servit adoreis
Fuisse septem SZCZUKOVIOS simul,
Bellona qvos Mater cadenti
In columen statuit Viennæ.
Ibiq; COLLIS pro rigido triplex
Mavortis Hæmo, RASTRAq; pro integris
Nativa castris, pro potenti
Mens steterat generosa muro.

ODE II.

Fallitur, qui reverentiam de metu quærit.

NEmo non lætus, famulantis omne
Excipit postquam studij tributum;
Nemo non gaudens humilis profundo
Poplite cultûs.
Sed coli quisquis cupit, id coacto
Non metu quærat, trepidante vera

E genu nunquam reverentis exit
Gloria penſi.
Comitas magnum ſtatuit, ſuiq;
Imperat ſummos ubivis amores ;
Neſcit incuſſo veneranda reddi
Larva pavore.
Qui minas addunt , proprijq; tali
Corporis cultum methodo requirunt,
Non adorantur , ſed ut efferata
Monſtra timentur.

ODE III.

AD

CAROLUM DOLSKI
Magni Ducatus Lithvaniæ
Supremum
MARESCHALCUM,
Scholarum Piarum Dabrovicienſem,
Lubieſzovienſem Fundatorem ;
Dum deſideratiſſimæ ſuæ Conſorti
ELISABETHÆ
OSTROROGIÆ
Septenæ prolis funeribus ſtipatæ dolenter funebria pararet.

INane morti munus, inutile
Simulq; penſum flebilibus ſtatim

Stagnare lachrymis & amplo
Insoliti gemitùs canali
Rigare pectus, dum sociam thori
Prolemq; defles, quæ numerosior
Ornabat ut vivens Parentem,
Sic subitis citò rapta fatis
Auget dolorem. Marmora lugubri
Perfunde fletu, teq; rigentibus
Adsterne lamentans sepulchris;
Ad miseras Lachesis querelas
Obdurat aurem. Sic Phaëton suo
Quondam Parenti, per Rhodopeias
Defleta sic rupes gementi
Euridice toties marito;
Nec lachrymarum profluvijs fuit
Lenita quidquam mors; stimulo dolens
Sævire ictuq; in paventes
Phæbus equos potuit, negare
Ipsiq; mundo servitium; miser
At Fata versùs nil potuit Parens,
Ille, ille cui aurora vesperq;
Et celeres famulantur horæ.
Argilla quædam nos figuli sumus
Omnes supremi. quid querimur? sua
Si vasa fingit, & refingit:
Nemo hominum iuvenis senexq;
Immunis, ætas nulla, volubilis
Alc-

A lege fati eſt. Illa eadem dedit
Nos hora quæ naſci, illa mortis
Nos tragico ſubicit tributo.
Perenne nil ſit; plurima iam ſuis
Defuncta fatis; & reliquum quod eſt,
Spectat ruinam: ipſæq; noctes,
Imò dies obeunt & aſtra.
Immenſa terras tam ſolidas neq;
Iuvabit unquam machina, & oppidis
Et urbibus fatalis inſtat
Ictus; ab hoc elementa caſu,
(Et quidquid hìc nos ſuſtinet, ac alit)
Orbiſq; pendet; pennigero gregi
Apertus aer, ludit omnes
Squamigerum genus inter undas
Tutè, nec ullas inſidias putant
Piſces: at hamus, vel modicum cibi
In ære captivat recurvo;
Viſco in aves pediciſq; laxis
Accedit auceps callidus, & novâ
Prædâ potitur: ſic hominum ſuper
Stat Parca vertices, & ictu
Continuo minùs arbitrantes
Percellit atrox: ſic aliquem grege
Abducit è noſtro aſſiduè gravi
Venatui inſtans, mille ut hamis,
Sic laqueis metuenda mille.

Ere-

Erepta coniux ELISABETH tibi
O Magne DOLSCI! ponò ſtatim ſuam
Præceſſit & ſecuta Matrem
Septicipis ſobolis ruina.
Videre natos exanimes, ſimul
Spectare dilecta ex Niobe unicum
Rigenſq; marmor, quanta cordi,
Quanta tibi catapulta ſævi
Fuit doloris! verum animo eſt opus
Magnoq; mentis robore, ſiquidem
Lugere vix viri eſt, Lacena
Chriſtiadûm pietas ſcit à quo
Hæc tela nobis proveniant Duce.
Non eſt Lycæi nervus Apollinis,
Nec ira Latonæ furentis,
Quæ Nioben nimiùm ſuperbam
Suoq; fætu ſe Ortygias ſupra
Divas ferentem vindice Filij
Ultura ferro, grande natis
Tantalidi quoq; grande Matri
Ut vulnus, ipſum ſic dedit exitum;
Sed id ſupremi velle fuit DEI,
Humana cûi ſervit voluntas,
Velle hominis cui ſervit omne;
Probata cælis ut tua ELISABETH,
Et qvarta ternis Gratia Gratijs
Addenda, de præſente vita
Ad

Ad Superûm meliora felix
Transire posset regna : cui statim
Parata cælis præmia, ubi sequens
Illa illa natorum corona
Se medijs sinuavit astris.
Finem dolori pone ; ita Martio
Extinctus olim Filius , & quidem
Quem mæstus unicum tenebat,
Nec reliquæ fuit ulla prolis
Spes , temperavit sed gemitum tamen
Sic , ut Senator funera publico
Privata postponens , eâdem
Se Patriæ statuisset hora.
Te Curialis Scipio Littavi
Ambit Senatûs , funereis videns
Te deînde pullatum lacernis
Blandus honor, subitò curuli
Ferale mutat pegma, nec ingerit
Lugubre peplum , sed trabeâ, iubet
Sed more vestiri Gabino
Patritios habitus , & illos
Pro nigricantis syrmate tegminis
Profert amictus, quos diademata,
Quos sceptra , quos omnes videre
In medio cupiant Senatu.

ODE IV.

Ad

AD
HEDVIGEM IABŁONOVIAM
Supremi Exercituum Ducis
Filiam.

Dum IOANNI KRASINIO despensaretur.

QVem Leda mallet, quàm dare Castorem?
Præfert Achilli quem proprio Thetis?
Nubis KRASINIO IOANNI
Pulchra IABLONOVII vireti
Pomona; deducens IABLONOVIO
E Patre Mavortem, KASANOVIâ
E Matre Bellonam, vicissim
Ipsa novos paritura Martes.
Ut ut qverenti perfidus Orpheo
Hymen serena pro face flebilem
Fumum resuscitat, nec omen,
Vel proprium sine nube vultum
Ostendit; at vos connubialibus
Magis fidelis convenit ignibus,
Non dira cum tantas adunat,
Sed melior paranympha mentes
Fortuna. Nec Thrax Euridicem Orpheus,
Heben Polonus sed capit Hercules,

Ad-

Admetus Alceſtem, venuſtam
Mars clypeo melior Dianam.
Tu nata magno ſanguine Cynthia
Ignara nubis, Tu Iove prodita
Tonante Pallas, Chriſtiani
Tu rutilans Cynoſura Solis.
Tu pulchra pulchræ Filia Gratiæ,
Minerva Iunònis, melior Tui
Pandora ſæculi, Dearum
Una nurus, graviore multas
Præis cothurno, quam famulus Pudor
Candorq; pleno circumit agmine,
Quam blanda comitas amico
Illicium ſtatuit IOANNI.
Iam vota felix ſume, vel ultimus
Quæ diſcat Orbis! Vive: adamantibus,
Auroq; textiles obryzo
Vive dies, placitumq́; ſume!
In vota Sponſum. Vivite! vivite!
Utriq;, longis vivite ſæculis,
Utriq;, & in veſtris avitas
Pignoribus cumulate ceras.

ODE V.

AD
HIERONYMUM AVGVSTINVM LUBOMIRSKI
Supremum Regni Poloniæ Thesaurarium, Reſſovienſem Scholarum Piarum Fundatorem.

NUnquam Druſorum ſangvis ab arduis
Ceſſavit armis; à ſtrepitu, minis,
Nunquam à reſultanti tumultu
Scit reqviem SRENIAVA motis
Pugnator undis. Sæpè voragine
Vaſtâ ac hianti gurges hic æſtuat,
Ingenſq; vis illi, nec unquam
Lenè fluit, nimiâ freqventer
Sed ſævit irâ: ſaxa cui, graves
Oppone rupes; in ſcopulos ruit,
Firmoſq; ſaxorum lacertos
Vexat atrox, fluidoq; cunctâ
Aſſultat ictu. Sic agit horrido
Fluctu tumeſcens Adria; ſic agit
Et ille qui pro aquis rubenti
Sæpe fluit Rubicon cruore.
Quæ verò tanti Numina fluminis?

Quis

Quis SRENIAVÆ perſpicuas facit
Spumare ſic lymphas? ut arma,
Ut galeas clypeoſq́ volvant?
Nec ſola vaſtis littora fluctibus
Pulſent, ſed Hæmo, ſed grave Pelio
Oſſæq́ deferant duellum
Sangvineis ſaliendo ſpumis.
Tu, Tu ille tanti Fluminis es Deus,
Tu Martiales erigis altiùs
Aqvas, ut immenſis redundent
Vorticibus, ſubitiſq́ ſemper
Stridant procellis. Tu refluentibus
Neptunus undis, Tu pelagi Pater;
Quod arva, quod cautes, potenti
Quod ſcopulos feriat fragore,
Tu LUBOMIRI Maxime. Non tamen
Spumante Ponto, non fragor editur
Latrante Scylla, ſed crepantis
Fit ſonitus ſtrepituſq́ ferri.
Fluctuſq́ ſurgunt non alij, niſi
Quos mucro movit; nec regit hic Thetis,
Bellona ſed Mater; tridente
Res agitur neq́, ſed trabali
Res conſtat haſtâ. Pro ſcopulis novæ
Petuntur arces; ſaxa nec ampliùs
Tunduntur, at muri; nec agri,
Sed validæ feriuntur arces.

Nec Phæbus hîc iam tingit equos levi
Inſtructus arcu, ſed vehementibus
Mars acer armis, cûi capillus
Non rutilo reniteſcit auro,
Sudore ſed frons, enſe riget manus:
Qvem lenta nunquam balnea noverant,
Non molle Nympharum cubile,
Sed gelidæ tenuêre thermæ.
Sic illa primis ſangvine geſtijt
Ætas ab annis, ſic clypeo ſuper
Reclinis, aût haſtâ juventus
In patrio Tibi crevit amne
O! LUBOMIRI. Mars dederat cavo
Ab ære ſignum, non Tibi culcitræ,
Non ſvavè nutrices canentes,
Sed rigidæ placuêre conchæ.
Parvoq; Achilli non alius thorus
Quàm ſcuta, duri quàm gladij brevem
Dedêre ſomnum. Crevit ætas
Threijcium ſonuitq; poſtquam
Ad arma cornu, Tu velut Africi
Euriq; motus turbine; barbaras
Excurris adverſùs phalanges,
Ac Getico metuendus Hæmo,
Spumantis inſtar volveris æquoris,
Littuſq; non iam, Threſſa minacibus
Sed caſtra verberas procellis,

Et

Et rapido propè mergis alto.
At primus in nos arma Boryſthenes
Sumpſit rebellis, mancipium antea
Et vile vulgus, Lerna putris
Multiplices pariens ſed Hydras,
Et mille ſemper monſtra: còërcuit
Quæ mucro quamvis Sarmaticus, tamen
Illæ renaſcebantur Hydræ,
Quæ Herculeas etiam fatigant
Subindè vires. Iverat Hercules
Mavorſq; noſter; Tu pariter Tuum
Poſt Herculem Theſêu paratis
In famulũ populum catenis.
Verùm obſoleſcit gloria ſæpiùs
In hoſte vili; nec ſatis ad decus
Plebeia carrago, triumphus
Nobilior, quoties arenam
Par monſtrat hoſtis. Qvare Oriens Tibi
Audaciori quæritur æmulo,
Geluq; concretas, acutâ
Nec glacie Geta vidit undas.
Palmare flumen fluctibus intulit
Se non ſupinis, naufragium ſtatim
Ferendo Tauricæ, furenti
Ingrueras quoties fluento.
Vexilla pugnax quæ tulerat manus,
Regnantis & quæ gratia Principis

Insomnis in munus laboris
Ultro dedit, Tibi militare
Ad bella signum! non puduit sequi
Martem vel ipsum, quandoquidem manu
Vexilla portabantur illâ,
Quæ gladio nisi, vel tripenni
Assveta telo. Mox iterùm gravem
Implevit ingens Scipio dexteram:
Et hic paludatos, Achillis
Hasta velut, peperit triumphos.
Nunquàm in virili nempè manu rude
Inersvè telum. Clavi etiam potes
Præstare, quod clavâ; loco arcæ
Si solidas reserabis arces.
Ibit per ipsas fama Propontides!
Tantiq; fulgor Nominis aureum
Evincet Hermum: non Idaspem
Non tumidum magis æstimabit
Fortuna Gangem; pulchriùs alluit
Qui scuta pro auro, fert Garamantide
Qui tela pro gemmâ, corusco
Qui remeat SRENIAVA ferro.

ODE VI.

Nemo Patriæ tanta tribuit, ut non plura acceperit.

Tan-

TAnta nemo Patriæ
Rependit unquam, quanta de benigno
Eius accipit ſinu.
Utcunq; naſci ſit bonum perenne;
Aſt ali perennius.
Laus ſola, quod gignant, penes Parentes;
Amplior ſed Patriæ.
Suſtentat, educat, fovet, tuetur,
More matris optimæ.
A bellicis phalangibus ſecundat,
Hoſtiumq́; turbine.
Spirare ſi licet malis repulſis,
Omnis inde ſpiritus.
Hoc fonte manant gratiæ, beata
Hoc volupta margine,
Felicitas hoc omnis ex fluento.
Vana Patriæ Patris
Plerumq; nomina, tituli tumentes.
Vel profuſo ſangvine
Das debitum Matri tuæ tributum.

ODE VII.

AD

MARCUM
MATCZYNSKI

Terrarum Ruſſiæ Palatinum,
Varezensē Scholarum Piarū Fundatorem.

EOnè tendam præcipiti ferox
Vates volatu? quò celeres vibrat
Sublime per nubes & auras,
Æthereis propior coluris
Festinus alas Accipiter? petit
Quò celsiorum lumina syderum
Nimboſq;, inaccessosq; tractus,
Et reliqui nova regna mundi
Impune pennis scindit alacribus?
Insitatos nec tenues agis
O Magne MATCZYNI! volatus,
Accipiter properas avitus
Adurget alas, cûi paribus comes
Instructa plumis Gloria ad ultimos
Usq; usq; luctatur Triones,
Teq; suis super astra pennis
Portare tendit. Profer in æthera
Corpusq; mentemq;, effugit infimas
Mens magna valles, quam sub ipsos
Dexteritas vehit ipsa cœlos.
Credetis? urbes, & capitis minor
Recedit orbis, regna volatilem
Ivere sub pedem. Io magne!
Hector ovas, superoq; nomen
Inducis axi. Te super algida
Remotioris littora Bosphori,
Dacumq; Getulumq; supra

Fa-

Fama vehit, Rhodaniq; canas
Excedit undas. Ibis & ultimis
Noſcere Colchis; ibis & ultimis
Noſcere Bactris, Fama promptam, &
Accipiter movet ultrò pennam.

ODE VIII.

Nihil in mundo ſecurum, quod proſperum.

STat nulla certo proſperitas loco.
Rerum beatos tangere limites,
Immane portentum, omne lætum
Ambiguo ſolet ire paſſu.
Qvæ firma credis, continui docent
Caduca caſus: non ebori fides,
Aut pallet, aut rubet, moleſtâ
Nulla caret Cynoſura nube.

ODE IX.

AD

REMIGIUM SUSZYCKI

Cracovienſem Canonicum,
Scholaſticum Lancicienſem.

Serenissimorum Principum

ALEXANDRI & CONSTANTINI

Moderatorem.

CHirone ſub quo, ſæpius intereſt,
Et magni Achilles à teneris ſtatim
Formentur annis, ad Coronas
Et geniti vigilem requirunt
Omnino curam. Nos adeo ſumus
Qui turba ſimplex, qui populi ſumus
Servire nati, ſubditoſq;
Quos rutilis dedit eſſe ſceptris
Natale fatum, præcipuos tamen
Semper Magiſtros poſcimus, ultimam
Minante natura ruinam,
Ni ingenuâ ſtabilitur arte.
Iam verò Regum quos diademata,
Quos cincta ſummis purpura faſcibus
Expectat, & regale obryzum
Quos cupidis manet ultrò votis,
Quantùm educari pertinet! indoles
Privata quando negligitur, ſibi
Vel admodum paucis nocebit,
Exiguum paritura damnum.

At

At quos theatri publica Principis
Orcheſtra poſcit, cûi cydares ſtudent,
Cûi ſumma maieſtas paratur,
Hic proprio famulíq; damno
Nutritur orbis, ſi malè ſedulam
Cuſtodis Argi reſpuerit ſcholam;
Et ſi gubernatrix ab ipſis
Non fuerit bona norma cunis.
Sunt multa regnis damna, nec interim
Durare poſſunt; à malè Principis
Regnantis inſtructâ iuventâ
Perpetuæ populoſq; vexant
Regnumq; clades: nec licet his malis
Sperare finem, ni vel in ultimo
Agone Regnantis, vel ipſis
Dum veniunt ſua buſta regnis.
Hinc iſta magnos cura frequentiùs
Movit Philippos: hinc Theodoſijs
Impenſus eſt labor, quis eſſet
Arcadij moderator? & quo
Ductore poſſet tam Imperij gravem
Subire molem, quàm diademate
Cinctus, paludata decoram
In trabea perhibere ſcenam.
Hinc & IOANNIS ſollicitum petit
Res iſtà pectus, quomodo Lechicæ
Creſcens ALEXANDER coronæ,

Quomodo Sarmaticis & alter
Natus triumphis Filius indolem
Ad regna formet, formet & inclitam
Dignamq; CONSTANTINO opimis
Imperijs solijsq; mentem.
Nam si IACOBO Sarmaticas prior
Lucina spondet Iunoq; purpuras,
Non vult ALEXANDRUM, corusco,
Non alium spoliare Fratrem
Intendit ostro. Sunt ea nomina
Formata sceptris; est ea maximi
Fortuna Patris, Filiorum ut
Quisq; suam teneat Coronam,
Regniq; pomum: cum Iagelonico
Et Casimiro non patrius nisi
Servivit Orbis, sed relictam
Regna alibi petiêre prolem.
Fortuna nullum deseret; omnibus
Sunt regna natis, si puerilibus
Non desit informator annis,
Spemq; novis foveat tiaris.
Tu tu ille tantæ rector es indolis,
Tu ad Sceptra formas progeniem optimi
O digne SUSZYCCI IOANNIS,
Tu Lechicæ sobolem MARIÆ.
Augusta proles vel sapientiam,
Vel fræna mentis discit, & ubere

In regna plausu, se Leonem
A tenero manifestat ungve.
Crescit futuris gloria sæculis;
Orbisq; spectat, quantus hic Hercules,
Et ille quantus est Achilles,
Deq; tuæ studio Minervæ
In quanta surgit culmina Patrio
Ornanda Scuto. Iam video, æquitas,
Et illa quæ Reges adornat,
Temperies bonitasq; morum,
Vultûs sereni blandaq; comitas,
Regniq; legum magna perities,
Et cuncta, quæ Regnante digna,
In dociles abiere mentes,
Sed te Magistro. Quandoqvidem tibi
Fortuna nostri credita Cæsaris,
Da vela lætus, spesq; nostras
Sollicitis moderare remis.

ODE X.

Sic quosdam Fortunæ favor, vel virtutis commendavit opinio, ut ipsa vitia putentur virtutes.

HErcules toto celebratur orbe,
Hercules pulchris ubivis triumphis

Ple-

Plenus incedit, faciuntq; grande
Sæcula nomen.
Quod Leo quondam Nemeæ timendus
Senſit oppreſſos graviter lacertos,
Et quod impactæ gemuit ſub alto
Vulnere clavæ;
Quod coruſcanti radians in auro
Mænali demum ſuperata curſu
Cerva pernici, quod & Hydra ſtrictum
Hauſerit enſem;
Non levis Taurus populis quod horror
Heſperîjs olim reboans in agris,
Quodvè Sus vaſtæ Arcadiæ potentem
Senſerit ictum;
Lata diſcurrens canit univerſum
Fama per mundum, memoreſq; faſti
Herculem clamant, ſua dantq; tantis
Præmia geſtis.
Et tamen ſcimus, quod & impudenti
Eſt Leo donum poſitus puellæ:
Scimus horrentes maduêre nardo
Quomodo crines.
Scimus, ut duro manus illa ferro
Nata, vel fuſum muliebre ſumpſit,
Vel tubam ponens cecinit nugacis
Carmina plectri.
Scimus, ut clavam pudet haùd virili
Fa-

Fæminas inter ſtuduiſſe penſo,
Flexit ut Martis ſoboles ad unam
Transfuga lænam.
Hercules felix tamen inter iſtos
Semper exceſſus; vetus illa magnum
Herculem clamat, memoratq́ præſens
Sæpius ætas.
Proh! quid id tandem? ſcelerum nefandus
Orbe quod toto celebretur hæres,
Quod ſub illuſtris vitium triumphet
Pallio honeſti.
Credo Fortunæ favor eſt, & illa-
-Opinio geſtæ ſemel orta vitæ,
Ipſa virtutes putet ut tenaci
Crimina ſenſu.
Sit miſer, certos habeatq́ nævos,
Creditur magnus: qvia fama pronis
Quem levat ventis, etiam per ipſas
Emicat umbras.

ODE XI.

AD STANISLAVM WITWICKI Epiſcopum Poſnanienſem.

ERgo minacem fatidica face
Planeta vultum, & prodigialium
Arca-

Arcana Saturnus dierum
In Lechicum quoq; portat orbem?
Pridem Cometarum exitialibus
Ardemus aſtris; ſyrmate longior
Pridem redardeſcit favilla
Igniferis metuenda virgis.
Credetis? io! flammivomos trahens
E nube crines ſydus in Arctico
Fulſit Polono, fauſtiori
Sarmaticis radiavit igne
Planeta terris. Surgite Sarmatæ
Et emicantis lumina ſyderis,
LUNAMq;, nativaſq; STELLAS
Multiſonis celebrate ſiſtris.

ODE XII.
AD
MICHAELEM
à Viſitatione B. M. V.
Scholarum Piarum.

Poſt adminiſtratum optimè geſti bis Provincialatûs munus, Religioſæ ſuæ quieti modeſtiſſimè vacantem.

NOn illa imperij fames,
Non hæc ſollicitæ cura ſuperbiæ,

Ho-

Humanam beat indolem,
Sed desiderijs parta pijs quies,
Sævi nescia turbinis,
Ipsorumq; potens æmula Cælitum.
Hâc Tu pace beatior,
Quàm si Bactra tuis subdita nutibus,
Vel subiecta foret Tyrus,
Vel dives Phrygiæ Persia purpuræ.
Inter dum Iuvenes manes,
Quos primò teneræ vere puertiæ,
Vitæ sancta serenitas,
Circumfusa suæ luce modestiæ
Unos format in Angelos,
Et planè medium constituit polum.
Nil tali meliùs domo:
Nil post Empyreas nobiliûs plagas.
Terris esse domesticum,
Et cælos humili tangere vertice.
Sed Tu non MICHAEL fores,
Ex his Angelici ni fierent chori.
Princeps Militiæ Sacræ,
Verbo & compositis moribus eminens,
Comprêndis fàtis omnia,
In se, quæ inferior continet Angelus.
Tantâ cumq; modestiâ
Privatus tacito vivis in angulo.
In nos imperium tamen

Et

Et quædam placidi ſceptra tenes Patris.
Nam quidquid ſumus, eſt tuum;
Et noſtrum eſſe, tuo ex eſſe ſtat, & ſtetit.
Da ſignum MICHAEL tubâ,
Et prompti ſequimur claſſica milites.

ODE XIII.

Didonis, & humana in promiſſis ſuis inconſtantia.

ME prius tellus ſubitò dehiſcens
Sorbeat, totam rapiatq; hiatu,
Me prius vortex ferat, & profundum
Mittat in amnem.
Me vel immiti iaculetur arcu,
Vel nimis ſævis perimat ſeverus,
Fulminum nimbis, pluvioq; tollat
Iuppiter igne.
Ut vel infernas Erebi ſub umbras,
Tetra pallentis vel in antra mortis,
Et tenebroſæ miſeranda pergam
Limina noctis.
Te Pudor quàm ſi violem, vel illa
Iura diſſolvam, quibus obligata
Hactenùs vixi, retinens prioris
Fœdera vitæ.

Re-

Regna vel Mavors Rhodopenq; donet,
Vel ſuam Delon, Clarioſq; fines,
Delphicam Lesbon, tribuatq; dites
Phæbus Amyclas.
Nec Iovis Cretam volo; prima quondam
Cûi fides à me fuit: illè noſtros
Servet affectus, alium recuſo
Noſſe maritum.
Audijt triſti recubans in urna
Ille qui primos tenuit iam amores,
Hæcq; commotus loquitur dolenti
Corde Sichæus.
Dicis id noſtris malefida tædis,
Ecquid internum tenet ille pectus
Ignis, ut totas vehemens adurat
Flamma medullas?
Sepibus tædas adhibeto, tanto
Non flagrant æſtu, ſtipulamq; non ſic
Fomes exurit, mala ſponſa quanto
Ureris igne.
Cerva defixo ſemel icta telo
Horridis errat fugitiva ſylvis,
Interim neſcit, latus alta quando
Læſit arundo.
Ureris Dido, neq; Luna ſvavem
Impetrat ſomnum; vacuas per ædes
Hinc & hinc curris, poſitiſq; marces
Langvida ſtratis.

Et licet prandes, licet inquieta
Sæpe convivæ loqueris, ſub imum
Intrat Æneas penetrale capti
Non benè cordis.
Interim ceſſant operæ, nec Urbis
Tecta conſurgunt, validæq; turres
Et domus ceſſant; poſito quieſcunt
Mænia vallo.
In nemus fert mens; it odora ponè
Vis canum, ſtipant equites, Phrygumq;
Eſt frequens tecum comitatus, adstat
Dardanus hoſpes.
Credis in nexos quod itura caſſes
Urſa, vel miſſo iaculo quod Afram
Tigridem prorſus perimes, ferumq;
Dente leonem?
Non aprum, fulvos neq; tanta cervos
Quærit indago; capienda laxo
Dama tu reti, peritura tenſo
Tu lupa caſſe.
Fulgurat cælum, ſeqviturq; plenus
Grandinis nimbus, nova quiſq; quærit
Tecta, ſub tanto qveat ut lateſcens
Siſtere nimbo.
Troius Æneas fugit, & tu eandem
Sola ſpeluncam petis: ardet æther
Igne, ſed nec tu miſeranda parvo
Ureris æſtu.

Obſtitit rectum, pietaſq́ꝫ, primus
Obſtitit ſanè pudor; at Cupido
Et Venus vicit, quia proſtitutum es
Paſſa pudorem.
Coniugem dicis, ſceleris ſub iſto
Et tegis nomen titulo? ſupernus
Neſciat tanquam polus, & coruſci
Regia ſolis.
Finge proût viſum; vaga fama turpem
Pellicem ſpargit, penetravit iſte
Criminis rumor Lybiam, meæq́ꝫ
Detulit auri.
Hactenus fractum Phrygiæ pudorem
Exprobat læſus Dominæ Sichæus;
Heu! quotus noſtrûm gravioris haud eſt
Criminis author?
Sæpius cælo, ſuperis vovemus
Sæpius Divis; maculandus ullo
Nemo qvod noſtrûm vitio ſequentes
Vivet in annos.
Venit interdum brevis hora, parvum
Et ſuæ poſcit ſpatium voluptæ;
Nos Dei obliti ſcelerum lutoſis
Mergimur undis.
Hæc dies dicit, quia nulla noſtrum
Ira pulſabit violenta pectus;
Ira non tantûm, ſubeunt ſed atri
Caſtra furoris.

Hæc dies dicit, quia nulla puram
Vis ſubintrabit minus apta mentem;
Heu! Venus noſtris quoties potitur
Integra caſtris.
Hæc dies dicit, quia non avaro
Vile quæretur ſtudio metallum;
Ecce non aurum, minimus ſed hæret
Pectore nummus.
Hæc dies dicit, quia laſſa morbis
Ad ſuum rectum remeabit ætas;
Sanitas venit, tenet omnis ægrum
Vita teporem.
Millies cælo, ſuperis vovemus;
Millies cælo ſuperiſq; factum
Frangimus votum, ſimiles furenti
Semper Eliſæ.
Heu! quid infidi ſuperos, Deumq;
Ludimus? lapſi meminit pudoris
Impudens Dido, temerumq; lavit
Sangvine crimen.
Nos Dei iuſtam retinentis iram
Prorſus obliti, ſcelerum vadoſo
Mergimur cæno, immemores ſequentis
Undiq; pœnæ.

ODE XIV.

AD

AD
RAYMVNDVM
à S. CATHARINA
Scholarum Piarum.

Dum ei Author Lyricorum suorum curam commendaret.

VT absq; nævo vivis, & integra
Servas profundæ regna modestiæ,
Sic vive mi RAYMUNDE; nostri
Interea memor esto partûs.
Labore proles nata meo, meâ
Qualiq; Musâ, Matre; domesticis
Non vult supersedere tectis,
Sed medij cupidè theatrum
Aspirat orbis. Non, modico memor
Se Patre natam; non, inopum memor
Natalium sortis, per urbes
Per varias cupit ire terras.
Mitto, protervus quò trahit impetus,
Custode sed Te: sit tenuis licet
Pauperq;, Tu contende, ut omni
Circumeat tamen absq; nævo.

ODE

ODE XV.

AD

Vetustissimam

CORVINORUM

Familiam.

Cum suo CORVO *diutissimè perennantem.*

VT ut sit ipsis vana superstitem
Vixisse CORVUM fabula sæculis,
Vester secuturos legendam
Historiam dedit in Nepotes.
Non una CORVUM sæcula grandibus
Implere fastis, postquam adamantinis
Is ipse captivam catenis
Parcam agiles agit ante currus,
Et pro tributo stamina strenuæ
Prolixa vitæ mandat aheneis
Ducenda fusis, temporumq;
Pensa gravi solidanda ferro.
Et cum frementis monstra Propontidis,
Aut æstuosi regia Bosphori,
Austerq; inaccessiq; Phocæ,

Et gelidi ſimulacra Cauri
Pleroſq; terrent à medio brevis
Ardore curſûs, ille tot impiger
Decurrit ætates; volucrem
Nec ſpatjs cohibet volatum.
Vos illa tantæ, Vos Soboles Avis,
Vos è Quirinis proveniens jugis
O! Magna CORVINI propago,
Per Proavos Atavoſq; longum
Impletis ævum: cûmq; alias domos
Abſumit ignis, vel violentior
Everrit Eurus, aut hiulcis
Trux Boreas, Aquiloq; nimbis,
Vaſtantq; feſſis tempora ſæculis;
Vos à tot annorum ordinibus gravem
Neſcitis occaſum, perenni
Sed ſolidos adamante menſes,
Sed ducta duro ſæcula marmore;
Sed fuſa forti, ac impenetrabili
Momenta ferro, ſed metallo
Perpetuas numeratis horas.

ODE XVI.

AD

VINCENTIVM à S. IOSEPH

Dum Romam ad Generalia Comitia electus illùc infirmus iret, & tan-

dem sanus, & Scholarum Piarum Provincialis rediret.

NIl fata versùs, nil adamantinos
Contra Polorum possumus ordines;
Ut quemq; virtus, vel benignè
Respiciens Cynosura blando
Dignata vultu, quemq; suæ Deus
Commisit urnæ; spebus hic illico
Illudit humanis, videtq;
Consilijs hominum supremum
Non stare Numen. Te licet arida
Depasta febris, Te macies licet
Morbusq; non cessans ad almam
Ire diu prohiberet Urbem:
Periculosum fida cohors neq;
Permisit unquam aut svasit iter; tamen
Te Fata spem præter, beatæ
Incolumem statuêre Romæ.
Quem fata amico prona fovent sinu,
In seq; cælum suscipit, huîc nihil
Humana vis obest: per ipsa
Letiferi quoq; colla morbi
Calcando pergit: nec pueriliter
Deridet ægrum, nec iocularibus
Vexat cachinnis, ast amica

Pren-

Prenſat honor recreatq́; dextrâ.
Sic poſt flagrantûm tormina febrium
In ſanitatis promptiùs eſſedo
Te prima devexit poteſtas,
Præpoſiti officiumq́; Patris.

ODE XVII.

AD
ANDREAM ŁĄCKI
Inſulatum Ołycenſem Gneſnenſem, Lovicienſem, Canonicum Tribunalis Regni VicePræſidentem.

FAma refer, noſtris iterùm ſe transfuga regnis
Siſtere viſa Themis.
Nec iam per varias extorris currere ſedes
Vel vaga tecta cupit,
Poſtquam ŁĄCCIACIS defendi ſentit ab Haſtis
Seq́; ſuamq́; domum.
Non audet vitium grandes attollere criſtas,
Tela nefas reprimunt.
Et maleſana coqvunt aliquam ſi pectora culpam;
Pæna comes ſeqvitur.
Tuta fides, nulliq́; patent ſua limina fraudi,
Nec ſua tecta dolo.

Hinc taceat veteres ætas tranſacta Solones,
Numina Iuſtitiæ.
ANDREâ divina Themis præ Iudice, nullum
Iura petunt alium.

ODE XVIII.

AD
IOANNEM BONAVENTVRAM
KRASINSKI
Palatinum Płocenſem.

Dum Varſaviæ ſumptuoſiſſimum Familiæ ſuæ palatium erigeret.

NOn regna mundi, non Phrygias ego
Inviſo moles, non Babylonios
Proſpecto muros, ſat dum in illa
Pono pedem vetus hoſpes urbe,
Quæ prima noſtris Principibus data
De lege ſedes, qvæve, vacat thronus
Si qvando Lechicus, vacanti,
Prima legit Dominum Coronæ.
Hîc hîc Qvirites quantam ego ſurgere
Contemplor ædem, quam neq; Punica
Molita Dido, quam ſtupenti-
-Anchiſiades oculo revolvens

Non

Non vidit unquam, conſpicio domum,
Magale qvondam. Pars manibus ſuis
Immenſa volvit ſaxa, grandes
Pars alia è Parijs columnas
Excidit inſtans rupibus. Arx Iovis
Non illa tanti, Regia non fuit
Ac illa Solis, & pyropi, &
Cujus ebur rutilum tegebant
Ut tigna, ſic omnem undiq; parietem.
Non illa Memphis pyramide in ſua,
Dictynna vel templo; ſuperbâ
Majus opus Babylone, magnæ
Urbiq; compar penè domus: potens
Quam ſi videbit Iuno; ſuam ſtatim
Samum relinqvet, & KRASINI
Magnificas habitabit ædes.

ODE XIX.

AD
IOANNEM CHRYSOSTOMVM
a S. PAULO
Scholarum Piarum
Per Poloniam & Hungariam
Viſitatorem Generalem.

DEſcende celſis hoſpes ab Alpibus,
Hetruſca non Te detineant juga!

Descende! Florentina Chloris
Non patrijs remoretur hyblis.
Et nostra tellus explicat uberes
Planosq; campos, & Lechicæ sua
Sunt prata glebæ, sunt fragrantes,
Lætus ubi spatieris, horti.
Quidquid moratur magne CHRYSOSTO-
Fixumq; reddit; pone moras, amor (ME
Te noster, aspectusq; noster
Sollicitis vocat ultro votis.
Auditis? ut jam Fama volucribus
Se tollit alis, utq; CHRYSOSTOMUM
Venire per campos, per urbes,
Et cupidas perhibet per aures.
Imus Poloni! lætitiâ viæ
Plausuq; frendent; it Calasantia
Pubes, & arctis destinatum
Læta tenet manibus IOANNEM.

ODE XX.

Rerum omnium jactura reparabilis, præterquàm temporis.

THesauris Arabum majus, & aureo
Pactoli pretio tempus, inanibus
Si transit studijs, irreparabile
Damnum, & perpetuum malum.
Fortunæ varias ut quis opes diu Fe-

Felix in propriam detulerat domum,
Poſſeditq́ꝫ, niger quas habet Æthiops,
Pleno divitias ſinu.
Et tandem miſeram pauperiem pati
Iuſſus ſollicitos in tenui lare
Ducit ſæpe dies, exigvus focus
Lautas nec retinet dapes.
Hic amiſſa poteſt prædia, pauperem
Reſtaurare domum, qui modici ſubit
Iacturam minimam temporis, omnibus
Fert damnum gravius malis.
Privatur placitis alter honoribus,
Privariq́ꝫ dolet: ſed veniet dies,
Qvando munifici gratia Principis
Largis depluet imbribus.
Belli præcipitem perdidit aleam
Alter ſangvinei, mox animum erigit,
Et vires revocans egregius redit
Fuſis victor ab hoſtibus.
Hic famæ ſubijt grande periculum
Livoriſq́ꝫ minas, mox iterum innocens
Se virtus perhibet, famaq́ꝫ ſubdolis
Fit non læſa cuniculis.
Tempus dum ſtolido perdimus otio
Socordeſq́ꝫ dies, nemo reſarciet
Damnum, præteriti conſilio carent,
Qvo paſſu redeant dies.

Si rectè ſapies, nec minimum boni
Abſumes ſpatium temporis, vnica
Nam vel ſi hora abeat, non retinebitur
Multis deînde repagulis.

ODE XXI.

IGNATIO
à S. STANISLAO
DOMINICO
à S. THOMA AQVINATE
VENCESLAO
à S. FRANCISCO

Scholarum Piarum Religioſis; uterinis Fratribus.

QVid veſtra nobis attulerit trias,
Qvid eruditæ mentis, & ingenî
Gaza illa dives; nemo neſcit,
Invidiæ niſi qvem malignus
Adurit ignis. Cùm reliqvis tuba
Et dura Martis claſſica Fratribus;
Cùm caſtra Bellonæ, vocantis
Cùm litui placuere campi;
Vos ad qvietæ Palladis otium,

Vos

Vos caſtra ſeu ad clauſtra modeſtiæ
Iuiſtis, innocente vitâ
Egregium peragendo curſum.
Sed caſtra ſpernunt, clauſtraq; deſides
Odêre mentes, his gladius datur,
His penna, prout cuiq; viſum,
Hoc meritam trahit amne laudem.
Ad arma qvos Mars Sarmaticus ſuo
Accendit æſtu, ſangvine congruum
Soluêre iam penſum, Minervam
Ingenio, calamoq; prompti
Vos fœderatam redditis, indole
Illâq; noſtram per CALASANTIDEM
Regnatis inſignes, ut ipſa
Non alibi reperiſſe Pallas
Potentiorem gaudeat ægidem,
Non regna Svadæ, qvam dociles ubi
Cujuſq; veſtrûm tam eruditè
Introijt, tenuitq; mentes.
Vivunt profuſo ſangvine nobiles
Poſt fata Fratres, ingenio datum
Certare vobis, hoc volantem
Ingenio retinete famam.

ODE XXII.

SERENISSIMÆ HEDVIGI ELISABETHÆ AMALIÆ Principi Neoburgicæ

Dum Sereniſſimo IACOBO *Poloniæ Principi deſponſata Sarmaticos fines ingrederetur.*

PRome terra, feſtiorem
Prome tellus læta frontem:
Sume molles compta cinctus
Martijs egreſſa nimbis,
Qvandó Aprilis nuptiale
Adminiſtrat ipſe feſtum, ſerta flores congere
Alemanni Nympha Rheni,
Maximi proles PHILIPPI,
Cæſarum Regumq; ſangvis
Patrio fertur LEONE.
Et marito capta SCUTO
Principi Princeps novã ſe fert IACOBO
Iamq; cano ſparſæ crine (Palladem.
Bruma ſævas clauſit arces,
Durus Athlas non nivoſo
Diſſipat nives Olympo,
Algidis nec crudus armis Hæ-

Hæmus altas ſtringit ornos, nō propinqvas
Non tepentes afflat auras (arbores.
Eurus udo triſtis ore.
Non fatigat inſolenti
Vaſta Caurus funda flabro,
Sævientis flatus Auſtri
Non meantem torqvet Iſtrū, non Polonum
Quâ Neoburgica Diva (Vandalum.
Delicatum ferre paſſum
Allubet, ſtatim ſatelles
Te frementis pulchra plausûs
Scena ſtringit, te trecentas
Excitata per plateas prompta ſtipat gloria.
Blanda dulces aura riſus
Per nitentem ducit æthram.
Ipſa Chloris liliorum
Et roſarum fert caniſtra.
Tam geniſtæ qvam liguſtra,
Tam cupreſſi, qvàm racemi, nuptam adorāt
Hoſpitem iam fige calcem- (Principē.
-Hebe nova Herculis Poloni:
Atq; ſegnes pone tractus,
Limpidus dum ſervit àër,
Prende lauros, & fatiga
Mille ſoles, mille luſtra, mille Princeps
(ſæcula.

ODE XXIII.

Vtrisq;

SERENISSIMIS NEOSPONSIS

Dum in Patriæ limitibus obviam convenirent.

C Reditisnè? Fama postqvam
Nuntiat Sponsam IACOBI
Patrium liqvisse Rhenum,
Et Lecho stetisse tractu;
Pax amæno ridet ore,
Ac IACOBUM dulcis Hymen ire gaudet (obvium.
Regijs tunc læta Sponsis
Sumit amplum terra cinctum.
Nec nivosos novit imbres
Nec polares sentit iras,
Subq; plantas utriusq;
Spargit herbas, spargit hyblas, larga spargit (lilia.
Hinc roseta de paterno
Prodiêre rubra Pæsto.
Inde blandis nardus hortis,
Inde lætis caltha campis
Crescit, & viam decoro
Flore sternit, sternit omnes Flora vernans (semitas.
Ponit udos Cyclas imbres,
Asperas hyems pruinas:

Non

Non fatigat ſævienti
Vaſta Caurus funda nimbo.
Excitati ſed ſvaves
Trudit alas, trudit auras ſibilus Favonij.
Lenè Vandalus ſuſurrat,
Carpathus ſtrepit choreis :
Ex Eois tollit undis
Lucidas Phæbus qvadrigas,
Et nivis pro turbulento
Rore lætos ſpargit ignes, læta ſpargit lumi-
Perge alacriSponſe paſſu, (na
Perge alacri Sponſa paſſu;
Iunge amicam uterq; dextram:
Vos Salus, Vos Pax ſeqvetur,
Riſus uno, Plauſus uno,
Fauſtitaſq;, Comitaſq; Vos ſeqvetur tramite.

ODE XXIV.

AD

ALEXANDRVM BYKOWSKI
Scholaſticum Cracovienſem,
Gneſnenſem Canonicum.

Alluditur ad Gentilitium
GRYPHEM.

REciprocanti Gryphs alibi pede
In Atticarum marmoreis capax

Lu-

Ludit chorearnm theatris ;
Hîc levibus patuisse circis ,
Et cum rotanti ducere flexiles
Gyros magistro respuit , alitem
Sed tentat excursum , parato
Qvadrupedem qvia prona currum
Fortuna GRYPHI iungit , & impigro
Dat frena collo, per mare , per solum
Fortuna cum tanto jugali
Per varias abitura terras
Auriga felix. Subtrahe te moræ,
Tardis BYKOVI subtrahe passibus,
Et scande currum: GRYHPS paternus
Veligeris vehet ultro pennis.

ODE XXV.

A D
STANISLAUM DÆBSKI
Episcopum Vladislaviensem.

IO festivis sonet io ! campis ,
Dignus illustri resonare plausu,
Ipsa qvem virtus merito recenter
Ambit honore.
Io festivis sonet io ! campis ,
Io ! iam primis revoluta scenis

In STANISLAI properat decorum
Sepia nomen.
Ibis insigni per inane passu,
Præsulum splendor, speciosa pulchros
Fama cûi amplis cumulare pergit
Ductibus annos.
Ibis emotas super Orbis oras!
Ac diem tardo rapiente cælo
Patriæ vives decus, & Polonæ
Gloria Gentis.

ODE XXVI.

AD
LUDOVICUM d' ORGEVAL
Dapiferum Livoniæ
S. R. M. V Colonellum.

BEllona Marti connubialibus
Seu juncta tædis, seu qvoq; bellico
Dilecta sit soror Gradivo
Fulminei soboles Tonantis,
Non curiosus disputo: sit penes
Hæc fabulosas historias fides,
Martisq; Minervæq; verum,
Te sat erit LUDOVICE pullum
Si plectra cantent. Gallia fertilis
Ple-

Plerumq; tales educat indoles,
Ut ad Pyrenæos Latinum
Inveniant Helicona montes,
Hæmumq; bellis perpetuam domum:
Musæq; eædem Castalias colunt
Quæ forte ripas, non minori
Velivolum studio Garumnam
Omnino servant. Sic ibi Martium
Qvæ stringit ensem; non refugit manus
Et eruditam ferre pennam,
Ingeniiq; acies eâdem
In mente, qvæ ferri est: ibi paginæ
Vagina concors; nec gladio nisi
Concessus est campus, disertæ
Sunt etiam sua rostra lingvæ:
Ibiq; ijsdem collibus eminet
Parnassus, Hæmusq;, & cytharam solet
Audire qvæ Phœbi, canoræ
Illa tubæ qvoq; servit auris.
Sic Gallicæ te nutriêrant scholæ,
Sic Musa fovit, Strymonio simul
Ut cresceres Marti, parando
Ad geminam monumenta famam.
Ut verò pigram degenerat qvoq;
Fons in paludem: non it ab ostijs
Si qvando primis, & se eodem,
Natus ubi est, malè servat amne:
Et

Et planta vix ſe latiùs explicat,
Natale ſi illam detineat ſolum,
Nec alteri translata terræ,
In proprio niſi marcet agro;
Sic Tu Parentum limine prodiens,
Nec flexuoſi littore Seqvanæ
Contentus, iviſti per amplum
Ulteriùs poliendus Orbem:
Tagiq; primo pergis ad impigras
Luſtrator undas, qvi haud ita proprio
Gaviſus eſt auro, ut cruento
Dum micuit tua dextra ferro.
Hinc illa tellus, qvæ veteri diu
Colliſa Romæ, divitis ubere
Nunc clara glebæ, qvam Britannum
Nereidem manifeſtat æqvor.
Hinc Scaldis ingens, hinc Venetûm tibi
Luſtrata Thetis, nubiferas ſubit
Hinc qvidqvid aut tranſcendit Alpes,
Et reliqvas domina inter Urbes,
Acceſſa Roma eſt; omnigenæ capax
Tu ubiq; famæ, ſeu lituis crepet
Ad arma Mavors, litterata
Seu ſtudijs recreet Minerva.
At Marte poſtqvam ſub Lechico tua
Bellare virtus cæpit, & optimam
In Białocerkuenſi theatro

Mens

Mens habuit generosa scenam ;
Tunc illa qvercus (qvæ nemus integrum
Tam cingit amplè, ut qvanta sub arbore
Est herba tota ; tanta totam
Illa eadem superare sylvam
Annosa quercus possit) aheneas
Ultro secures, ultro Erisichtona
Vocat, nec indignata, frondes
Si pariter , pariterq; rami
Scinduntur : ipsis dummodo adoreis
Servire possint , & meritam manum
Ornare ; tunc Dodona palmas,
Tunc virides dat Apollo lauros,
Ac ipsa Delos : tunc Driades suis
Cedunt choreis , tunc manibus novas
Texêre qvas qvondam coronas ,
Utro tuæ Ludovice laudi
Et ultro cedunt. Sed grauioribus
Quò plectra pergunt assona classicis ?
Si bella D'ORGEVAL, severa
Si seqveris generosus arma,
Nec Pallas exsors; tam bene literas
Qvam castra nôsti : sic gladium foves ,
Ut copules Marti eruditam
Pieridum LUDOVICE mentem.

ODE

ODE XXVII.

A D
IGNATIVM à S. STANISLAO
Scholarum Piarum.

NEc Te feqvaci perfida Thefeo
Fortuna privat, nec mihi mutuus
Tu deêris Hercules: amicas
Iunge manus, paribusq; mecum
Infifte fædus ponere legibus,
Et reddam Oreftem. Peccat aheneam
Qvi damnat ætatem, dolorum
Sollicitis qveriturq; fignis
Dediffe raros fæcula Caftores,
Ego ipfe Caftor: fi placet unicum
Affume Pollucem, & Lacones
Fama canet redijffe Fratres,
Orbifq; plaudet. Nec iuvat argui,
Qvod fæpe vilis, qvi prior intimum
Teftatur affectum, gregalis
Miles amor famulare nunqvam
Nomen recufat. qvi licet impotens,
Dat multa, fi votum nimium dedit,
Dum fe dat ipfum. Me fodales
Nulla qvidem tibi ferre dextras

For-

Fortuna, gemmis ut pote defluus
Non pendit ullos cûi Tagus alveos;
Me dives ipſo: fænerari
Sed nec amor didicit, vel amplo
Venalis auro paſcere torridos
Avarus ignes. Muneribus male
Amor paratur, qvem profuſis
Qviſqvis avet retinere donis,
Magis meretur, qvàm tenet: at neq;
Accedo vilis ſarcina, debito
Vel abſq; commodo, fidelis
Si ſtatuo monumenta cordis,
Cenſus ſat ingens. Ditior Indico
Præ Gange candor, nec Mareotico
Non maior auro, ſed volucris
Rara, fides, adeoq; multum
Fæcunda, verum quælibet Herculem
Si gignit ætas: ſæcula Theſeum
Si tota dant unum, ſtupendis
Indubiè ſocianda monſtris.
Admitte dextram, haud diſſociabile
Et ſcribe pactum: velle perennibus
Et nolle ſervemus diebus
Semper idem, ſtudijſq; priſci
Simus Dimantes. Qvis ſcit in alteras
An fama feſtis vecta curulibus
Non ibit ætates, tubarum

Gran-

Grandiloqvo recitans fragore,
Vixiſſe & iſto tempore Neſtores,
Vixiſſe amicos, qvos ſemel unicus
Ut iunxit affectus, ſvaves
Nulla dies dirimet catenas.
Quis ſcit futuris fabula ſæculis
Non vana num & nos hiſtoriam ultimo
Non demus ex nobis Nepoti,
Unanimes retinendo mentes.

ODE XXVIII.

AD ERNESTUM NUGIUM

Quid hæc omnia ſunt, Opinio, Laudes, Elogia? Venti.

QVod Te fama levat, qvod proprijs NU-
Sublatum manibus portet in àëra (GI
Applaudens populus, publica fervidis
Qvod Te laus rapiat rotis.
Credis Te ſolidis pergere curribus,
Sublimiq; vehi celſiùs eſſedo,
Infelix Phàëton, heu! per inania
Picti duceris ætheris.
Venti ſunt, celebris non juga nominis,
Venti plauſtra ferunt, & nimium levis

Auræ

Auræ temo regit, non ita frivolis
Te committe jugalibus.
Qvid Thebis genito profuit Herculi?
Qvid Pellæ domino? Bactra qvod & Tyrus,
Gades occiduæ qvod fremerent novis
Tanta ad nomina plausibus.
Unus follis erat, vel modicæ nisi
Flatus gloriolæ: mors subijt celer,
Et Famæ perijt fumus, in unicum
Et versa omnia pulverem.
Ingentis memores nonnisi nominis,
Et vitæ immemores vivimus, & tamen
Plausus nil hominum, nil dat opinio
Plenis turgida laudibus.
Virtutis studium qvi tenet, hunc vehit
Festivis melior fama curulibus,
Importatq; polo, celsaq; prosperis
Fert in sidera passibus.

ODE XXIX.

AD

LVDOVICVM ZALVSCIVM Suffraganeum Præmysliensem.

QVis Te Parentis gloria maximi
ZAŁUSCIANÆ splendor originis
Effu-

Effudit ignis? qvæ ſuperna
Parrhaſio dedit Urſa cælo,
Qvis miſit æther? rurſus ab Arctico
Veniſnè ſummo? & nobilior trahis
Ignemq; temonemq; Solis
Per medios Phàëton coluros,
Inferſq; terris. Num Tibi proprias
Pandora dotes depoſuit, ſuis
Exuta donis? num paternas
Calliope dedit ipſa ſortes?
Qvocunq; Præſul Te poſuit die,
Qvicunq; & author; non ego vilibus
Adſcribo Te glebis, polari
Sed genitum venerabor AGNO,
Datumq; terris. Non humiles Tibi
Adſcribo cunas, purpureo cui
In ore Comitas reſedit,
Perpetuo memoranda cultu.
Te Te ZAŁUSCI ſtipat alacribus
Laus vera plumis; Tu Lechico novus
Splendor Trioni, Tu futuris
Materies ſatis ampla faſtis.

ODE XXX.

AD
OTTONEM FRIDERICVM
à FELKIERSAMB
Palatinum Czerniechovienſem.

MEndace ni me perfida decipit
Dioptra centro, cerno tuæ rotam
O! digne FELKIERSAMB curulis,
Dumq; rotam, ſimul & paratum
Adverto currum. Non Cybele ſuis
Deeſſe vellet prompta Leonibus;
Ambiret & magnus Camillus
Hâc patriam properare Romam,
Vehiq; Victor, qvem niveis eqvis
Romana miles ſub Capitolia
Secutus intrantem relato-
-Ex Celtiberis hilarem triumpho.
Non ille tanti currus, ab unico
Cui axis auro, temo cui aureus,
Et ipſa curvatura puro
Ac radij micuêre ab auro;
Ut iſta qvamvis fracta rota eſt, vias
Habere fuſo qvæ niſi ſangvine
Gaudet, triumphaliq; ſemper
Teſqva ſolet ſuperare curſu.
I perge felix, nec vaga nubilis

Da-

Damnanda peplis lumina porrige,
Sed inter ignes, inter aſtra
Flecte tuum moderator axem.

ODE XXXI.

Ad Famam.

Vt de Sereniſſimo IOANNE & exiſtente in Valachia Polonorum exercitu nuntiet aliquid.

TErræ Parentis Nata, Fama quid ſiles?
Mobilitate vigens
Vireſq; eundo poſſidens.
Cur nubila inter abſcondis tuum caput?
Cui oculi totidem;
Plumæ quot extant corpore.
Noſtri IOANNES quid gerat Princeps (throni?
Regia quid ſoboles?
Quid militares ordines?
Prutumnè victor & vagum emenſus Tyrā,
Moldaviæ populos,
Infida Daci littora.
Deditnè pugnæ copiam mixtus Dahis
Concanus? & Cilicum
Armata telis agmina?

Ivitne Seres ſub jugum? averſo minax
Parthus eqvo, gravium
Vel grande robur Biſtonum?
Hucuſq; nobis innuens nihil, ſiles
Fama, loqvax aliàs
Et orbe toto garrula.

ODE XXXII.

Vanæ hominum curæ, & fortunarum licitatio.

QVàm ſæpe ſpectans ridet inutiles
Fortuna curas, dum ſtudio nimis
Urgente venamur ſuperbas
Divitias, & opes anhelis
Votis procamur. Deficit interim
Fortuna tantis parta laboribus
Noſtraſq; ſpes ludit, nec illis
Tanto animi ſtudio petitis
Permittit unqvam divitijs frui:
Sed vix amicas exhibuit manus,
Infida ſubducit deinde
E medijs fugitiva caſtris.
Eſt qvi capaci condat in horreo,
Qvidqvid paternis verritur areis,
Gaudetq;, ſarculo boum ſi, &
Mille jugis arat inqvietos

Osyris agros : est etiam suæ
Qvi laxa pandit vela cupidini,
Qvousq; non plenas peculî
Tum vel opum sedet inter arcas
Parcus sibimet. Fit cui libera
Et hora non est, sæpe qvod integras
Noctesq; consumit diesq;
Usq; adeo studiosus auri,
Et usq; nummi : cumq; superfluas
Avarus auceps cæpit opes, & his
Se sperat usurum, scelesta
Mors agili properat phaselo,
Et omne tollit, qvidqvid avarior
Collegit ingenti Euclio anhelitu,
Hæresq; vel neqvam subinde
In cyathis nepos abligurit.
O ! vana multæ cura pecuniæ,
O ! spes inanes! qvò cupidam magis
Mentem nutrimus, sæpe plus illa-
-Esurit & magis æstuantem
Profert orexim. Sollicitudini
Qvandoq; nostræ sit modus. Omnium
Sis plenus ; & gemmis & auro
Ultima te spoliabit hora.

ODE XXXIII.

AD STANISLAVM SZCZVKA, Regni Referendarium.

Dum à morte SAMUELIS PRAZMOWSKI, *Palatini Płocensis, relictam Hastatorum cohortem obsequio Patriæ tenendam suscepisset.*

LAus nulla major munificæ manûs,
Quàm postulantem dum Patriam fovet,
Servatq; censu liberali,
Nec modico retinet potentem
Sumptu cohortem. Taliter effluа
Et se profundens dextera clariùs
Elucet, & dat eminentis
Signa satis generosa mentis.
Nam quid superbis nunc Arabum bonis
Pollere prodest? Mygdonias juvat
Tenere quid gazas? scelestus
Si nisi regnat amor tenendi,
Et largiendi nobilis exulat.
Inter Virorum non ego divitum
Exempla pono, quos avara
Mens nisi sollicitat, sitisq;,

Quâ parte magnæ divitiæ affluant :
Et in petentis commoda Patriæ
Quo refluant ſinu, tenaci
Nullus amor ſtudiumq; menti.
Immane monſtrum ! ſi patulis niſi
Rimatur aurum faucibus Euclio :
Ad totq; fortunas, minaces
Excubias peragunt dracones;
Vel ille Serpens, Heſperidum aurea
Ad poma ſemper qui vigilat ferox,
Gryphesq; pennati, ſilentûm
Ac domini nemorum leones.
Quæ liberalis dextera pulchriùs
In militares effluit indoles,
Cum ſicut herbam imber, vel humanum-
-Vt nutriunt alimenta corpus,
Sic ad viriles excitat impetus
Et Martialem ſæpè animum favor
Regumq; Magnatumq;. Regno
Protinùs eſt cuivis parata
Fortuna, quandò præmia bellicis
Sunt prompta dextris. Strenua qvilibet
Audere novit, quandò fruſtrà
Nemo. Statim cadit atq; langvet
Heròá virtus, ſi rude, vel parùm
Videt metallum nobile, fulgidum

Si ponis aurum ; & excitatur
Et celeres agitat triumphos.
Non peccat unqvam Munificentia
In exigentem prodiga Patriam ,
Laudemq; habet, qvi militares
Irriguo fovet amne mentes.
Sed iſta qvorſum ? ni Patrius Tibi
Gratetur Orbis, ni Lechici quoq;
Gratentur Haſtati, profusâ
Quos retines refovesq; dextrâ
O Magne LVCI. Non Patriæ niſi
Hæc turma, laudi velitat & tuæ :
Tibiq; qvælibet perenne
Haſta levat cataphracta Nomen.

ODE XXXIV.

AD
IOANNEM BONAVENTVRAM
KRASINSKI
Palatinum Płocenſem.

Valerij CORVUS *in KRASINIORVM & CORVINORVM Nobiliſſimis Familijs altiſſi-*

tissimè evolans.

POlona Corvum Vanda, vel aureo
Fortuna lenis copulat annulo?
Fortuna? vel pernix citatis
Fama iubet properare pennis
Phæbi volucrem! cum levioribus
Commune Nisis huîc nihil aliti;
Qvi si volaturus per auras
Plumigeris parat ire remis,
Non segnis, uno sed cum Aqvilis gradu
Iam convolutum verberat àëra,
Iam sub coruscantem calenti
Sole domum propior sagacem
Non stringit acri lumine palpebram:
Sed sive ferri fulgor, atrocior
Seu urit ardor, verberantes
Intrepidè speculatur ignes.
Qui signa primo Marte sub Ausone
Secutus, alis, indomitis velut
Armis minabundos adorsus
Nil animo metuente Celtas.
Audere visus plura, severior
Qvàm posset hostis credere, & impotens
Sperare Messalæ Gradivus
Ancipiti variante bello.

Vernante ſtipat prodroma Martium
Bellona lauro protinus Alitem,
Et rumor egreſſus tubarum
Grandiloqvo reſonat fragore,
Non Sole tantùm lora vel aureos
Tenente frenos, Marte etiam nigrum
Rectore CORVUM iam qvadrigas,
Iam celeres agitare currus.
Nec Roma tantùm cognita nobili
Eſt ſola pullo, per varias volat
Illuſtris auras Ales, ipſa
Præpetibusq; ſub aſtra pennis
Se tollit audax: qvâ vitreis tumet
Tibiſcus undis, qvà genus inclytum,
Servile nec vulgus, Poloni
Littavicis ſociantur armis;
Illè, illè lætus ſtridet, & alite
Paſſu triumphans ſub pedibus pigrum
Relinqvit orbem. Panno concors
Interea medijs paternæ
Campis Coronæ poſtulat, & ſua
Tendenda firmis ſceptra dat ungvibus,
Pomumq; (qvod vanis cupido
Sæpe putans patuiſſe votis,
Ut qværit amplo ſangvine, ſangvine
Sic ſumit amplo) porrigit aureum

Sic orbe ſubſcribente, prono
Sic ſuperûm ſtatuente voto.
Novo futuris carmine ſæculis,
Qvod fulminantes extra Aqvilas qvoq;
Sceptri capacem Nitra CORVUM
Impoſito reperiſſet oſtro.
Lechus coronas ſi popularibus
Non ſubdit urnis, ponè tamen thronos
Volare vicinum, ac eburna
Stare iubet prope ſceptra CORVUM.
Ubi Ducales partim apices, peda,
Summaſq; partim poſſidet Infulas,
Et inter illuſtres honorum
Magnificè vehitur curules.
Adhuc patentes excidio legit
Vocalis echo Sarmatiæ domos,
Qvarum Ales hic ſemper ruinas
Suppoſitis abigebat alis.
Dum vel qvietis à Patria graves
Arceret iras conſilijs, trucem
Sermone vel docto, ſuiſq;
Auſpicijs removeret hoſtem.
Tum ſi qva diris improba partubus
Produxit Hydram Lerna volubilem,
CRUX fortis & chalybs aduncos
Sat validè ſoleavit ungves:
Qvêis pullulantes proterat impiæ

Omnino criſtas belluæ, & obvium
Conculcet hoſtem, ſi ſubinde
In rapidos agitur furores.
Ego iſta Vates: præproperis fugit
Cum CORVUS alis, laudeq; Lechicas
Prægreſſus oras, uſq; ad Alpes,
Ad ſuperas volat uſq; ſedes,
Et me ſtupentem deſerit, ætheris
Non primus hoſpes. Fama volatilis
CORVI ſatelles clariorem
Nacta tubam properat, ſub ipſum,
Inter novorum claſſica plauſuum
Itura Pindum: & qvâ Tanais, vago
Qvâ Rhenus excurrit fluento,
Per Rhodopen, per aqvoſa Tybris,
Per vaſta Soſæ flumina, divitis
Qvâ gemma Gangis defluit, & Tagus
Promanat Hiſpanus, pyropo ac
Latifluo pretioſus auro;
Septena Nili fertur in oſtia:
Tubâq; claris grande ſonat plagis
Et FERRO & ANNULO decorum
KRASINIIS volitare CORVUM.

ODE XXXV.

CARO-

AD
CAROLVM
RADZIWIŁ
S. R. I. Imperij Principem,
in Nieśwież & Ołyka Ducem.
M. D. L. Procancellarium.

Tu qvantus olim parvus adhuc puer
Inter Paternæ compita gloriæ
Reptasse diceris, tenello
Laurigeris Tibi lusit ætas
Qvando trophæis: cum haud temeraria
Virtute nixus, pusio cresceres
Laudiq; honoribusq;, natus
Eximiæ pariterq; famæ.
Virtute tandem conspicui Tibi
Fulsêre ut anni, magnificæ statim
Venêre in occursum Curules,
Littavicum simul & Sigillum.
Qvos nempe sangvis, qvos meritis Domus
Adulta nutrit, semper in indolem
Videntur educi Paternam,
Nec Thetidis sua vult deesse
Pupilla Achilli; sit qvoq; Peleo
Mater superstes, qværit & hæc, suum
Qvi formet efformetq; partum,
Et vigilem reperit Chironem.

ODE XXXVI.

AD

CASIMIRVM SZCZVKA

Abbatem Paradiſienſem

In Principum Aulis ad canos uſq; à teneris deducta ætas glorioſiſſimè.

NEc Aula ſimplex, aut adeo rudis
Palæſtra, dignè qvâ generoſior
Procedit inſtructrice ſangvis
Egregios penetratq; mores,
Qvos in paternis ſæpiùs ædibus
Vel blanda nutrix, vel nimiùm fovens
Tutela Matris non tuliſſet
Præ tenero inſinuare corde.
At qviſqvis Aulæ ſe iuvenilibus
Commiſit annis, ſemper hîc indolem
Ad magna format, qvando & Aula
Scena ſatis luculenta magnæ
Campuſq; pubi. Mixti odijs ubi
Certant amores, gratia fulmini
Concurrit, aulicæq; diſcunt,
Qvid fugiant capiantq;, mentes.
An tanta multis profuerit Schola?
Nil qværo: ſat qvod Te iuvenem ſemel
Ut Aula ſumpſit, ſic amanter
Fovit ad hos CASIMIRE canos.

BENEDICTI à Sancto JOSEPH Scholarum Piarum LYRICORUM LIBER QVARTVS.

ODE I.

JOANNI III. Poloniarum REGI Serenissimo

QVod minùs rauco metuenda cantu
Territas hostis tuba reddit aures,
Et Salus, & Pax qvòd in ampliores
Irruit urbes,
Inclyto debes Leche cuncta Regi;
Svada cûi Sceptrum, soliumq; Consus;
Seu Sagum, felix Toga seu qvietas
Exigit artes.
Nempe, non semper meruit cruento
Lauream ferro manus, & tonanti
Vis inest verbo; qvod ab erudito
Provenit ostro.

ODE

ODE II.

AD

STANISLAUM SZCZUKA,

Regni Referendarium.

Dum in Generalibus Regni Comitijs Eqvestris Ordinis Mareschalcus fuisset electus.

QVæ ſcena? vel quæ Sarmaticos vocat
Orcheſtra Cives? Conſilij locus,
Et ampla Libertas Polono
Hanc tribuit cuicunque ſortem,
Vt iſta dicat, quæ velit: & velit
Quæ ſentit omnis Nobilis; arduæ
Res ſicque tractantur ſubindè,
Vt pariter ſua ſint ſalubri
Ius Faſque voto. Tam Genitrix bona
Nos à tot annis, tàm facilis Parens
Tot ſæculis ſervat, ſuoſque
Imperio retinet benigno
Pridem Nepotes. Obſequium fides
Subire ſemper debet in exteris
Submiſſa Regnis, & tacendo
Impoſitas retinere leges.

Du

Dum nec beatæ Consule fulgurant
Sacræq; sedes, proxima non adest
Cum lege dùm Prætor Potestas,
Patritiæq; vacant curules.
Dum cuncta Cæsar præcipit & jubet:
Assentiendi muta necessitas
Explere dum debet, ferenda
Quæ tumidis placuêre sceptris
Et nulla veri copia subditas
Obturat aures; quæq; placent throno
Hæc quisq; suffert, improbantis
Grande scelus reputando linguæ.
Sed ista solùm non datur exteris
Fortuna Regnis; altera Lechicæ
Est forma Libertatis, ampla
Quandò patet cuivis facultas,
Vt ore promat quod benè judicat:
Linguæq; tradat, quod ratio putat,
Sensusvẽ censet. Nec ullus
Esse potest pudor, auspicatum
Si sol sequetur deniq; Phosphorum.
Aurora Phœbo non nocet, aureis
Si vecta bigis, prima pandit
Purpureas præeundo portas;
Tandemq; Titan diffugientibus
Hinc inde stellis, ipse novissimus
Diem reducit, ultimòq;
Syderei statione cæli

Et arce prodit. Sit famulus prior,
Heroq; latis præeat ignibus;
Non inde vilior, præeuntem
Si Dominus regitur per ignem.
Sic nil Honoris Principibus perit
Nostris, bonorum si qvoq; Civium
Mentem requirunt, ac apertum
Consilijs faciunt theatrum.
Deliberantis tot Lechiæ bases
Et fulcra, quotquot Sarmatiæ bono
Inserviunt Cives, honestam
Iudicij peraguntq; scenam.
Verùm iste fulcrum nobilius, cui
Cessit supremum Consilij decus:
Regniq; qui sortes gubernat,
Atq; datam benè versat urnam.
Hic, virga monstrat Mercurium, boni
Quæ est semper index, aut etiam mali:
Vt quisqvis hâc virgâ fruetur,
Sors Patrios manet ista fines.
Rectène primus Scipio dirigit,
Tunc recta fiunt omnia: si malè,
Parata tunc Regnis ruina,
Indubius populisq; casus.
O! quàm secundum Te duce & arbitro
Sperare rerum possumus ordinem
Cùi docta Virtus, erudita
Cûi Pietas, animiq; candor,

Cûi cura ſemper maxima publicæ
Felicitatis fixit amabilem
In corde ſedem; cûi in imis
Regnat amor Patriæ medullis.
Tu, ſi cicatrix Sarmaticum premit
Acerba corpus, vulneribus manum
Director appones medendis,
Sollicitas facieſq; primus
Omninò curas, inter Eqveſtrium
Diviſa votorum ſtudia, ut novo
Pax læta deſcendens paratu
Per Lechicos ſpatietur agros.

ODE III.
ALEXANDRO ZAŁUSKI,
Palatino Ravenſi,
Nomine Filij ſui Franciſci nunc Vexilliferi Nurenſis.
Lyrica Aggratulatio.

REduxne Fatum? prodigialia
Vel ominoſo vincula Gordius
Appendis axi, dum implicatum
Nectis amor pharetrate nodum.

Pri-

Pridem ſolutus nodus ahenei
Ictu mucronis, nil ea præferunt
Arcana, ALEXANDRI tenaci
Mucro dedit ſua fata loro.
Audite ! dicam: Rex animi mei
Hucuſq; non eſt. nodum amor hîc locat:
Rex eſto, qvi ſolvet; ſub iſto
Ponit amor mea regna nexu.
Evolve nodum magne Parens, tuæ
Hoc conſecrârunt ſidera gloriæ:
Evolve ALEXANDER, vel ipſum
Urget ad hæc monumenta nomen.
Fallorne ? mendax, an dubias agit
Fortuna mentes. io ! vel aſpero
Solvenda vix ferro, paternus
Explicuit mea vincla pollex.
Abſiſte verbis, qvam tibi detulit
Fatum Coronam magne Parens cape:
Rex eſto, non moror, ſub ipſas
Preſſa Tibi fero ſceptra plantas.

ODE IV.

AD

D. THOMAM AQVINATEM,

Acerrimum adversùs Hæreticos Scriptorem.

Roma

ROma Spartanæ documenta dextræ
Poſcit, in grandes adoleſce pugnas,
Sume Bellonam, validumq; ſume
Pectore Martem.
Ibis in pugnam, domitoq; grandes
Victor effundes ſuper hoſte plauſus,
Qvem ſub abſtruſis Patrio reqvires
Flumine nervis.
Et Dei & legum, ſceleriſq; vindex
Per triumphales gradiere lauros,
Neſcies taxos, vel amica nigræ
Flumina Lethes.
Te per ingentes ſpatiata terras
Hæreſis duris trabeata criſtis
Sentiet fortem, peritura magno
Hæreſis ictu.
Ibis in duræ fera monſtra Lernæ
Hercules alter, qvotieſq; vaſtum
Corpus attollet, dabis æſtuantes
Corpus in ignes.
Horret & Python, maculoſa centum
Terga qvi ſignis vehit, & minaci
Sibilans vultu vomit impotentes
Sqvameus iras.
Ponet & torvos Acheron furores,
Turbidus cæno, vel aqvoſa qvando

Bella

Bella consurgunt, sinuantq; vastos
Flumina montes.
Cedet & Ditis, neq; dissolutos
Eumenis crines, geminæq; pestes
Et Minæ & Diræ patientur acres
Tollere vultus.
Ibis informem positurus Orcum,
Qvi vel immanes iacit ore flammas,
Vel venenatis animas verendus
Subiugat armis.
Qvâq; Cocyto propior voraces
Tænarus monstrat malefidus oras,
Et Chaos, & qvâ Phlegeton rapaci
Imminet undâ.
Qvâ vel infernas Stygis inter umbras
Theseum duræ cohibent catenæ,
Poma quâ captat fugitiva sicco
Tantalus ore.
Ibis, & sacræ geminare palmas
Haud sines Romæ, novus in paternis
Scipio terris, novus in Latinis
Scævola campis.
Fallor? an certo mea vota demùm
Fine subsultant, Io? iam virentes
Laureas nectis, validoq; fracta
Hæresis ictu.
Iam Tibi primi rudimenta belli
Lau-

Laurus implevit, metuendus orco
Arripis palmas, tumulumq; cæcis
Erigis umbris.

ODE V.

Ad Ferrerium Vulpium.

Frustra amorem poscis, qui non adfers.

QVàm tuus mendax amor eſt, viciſſim
Diligi dum vis, memoriq; neſcis
Mente complecti, qvàm adhibes malignas
Sæpiùs artes.
Cor tibi conſtat validi ſubinde
Impeti ſævis odij favillis,
Et meos audes, qvibus abdicâſti,
Qværere amores?
Perfidæ nunqvam ſua vela Scyllæ
Credidit navis. Renuunt amicum
Candidi mores dubijs ſtudentem
Vivere votis.
Non amat Cæſar, qvoties aperto
Non videt ferri populi favore:
Non amat Troas, ſi aliqvando vafrum
Sentit Vlyſſem.

Nec

Nec tibi fidum fore crede pectus,
Qvod vacillanti referas amore :
Est ibi censor tacitæ revisens
Ostia portæ.
Ut lubet fingas ; scio qvisqvis odit,
Ac amat qvisqvis, scio ; nec bipenne
Diligo pectus, biforem nec unqvam
Diligo frontem.
Tu mihi monstra, qvod amor fidelis
Te regat mecum, statuamq; certum
Fæderis pactum, variante non me
Distrahe sensu.
Ista num puro tibi dico corde,
Qvod modi tales, vapidæq; profunt
Nil simultates : benè ama, si amantem
Poscis amicum.

ODE VI.
AD
ANDREAM SVBVALLIVM.

NUllus ANDREAS crucis absq; mole,
Nullus ANDREAS populi favores
Sic habet pronos, ut iniqva nunqvam
Sæviat aura.
Est & Ægeas nimium severus
In DEI Iudex famulum, parati

Sunt ſtatim clavi , tremuliq́ pendens
Machina ligni.
Lætus ANDREAS tamen inter iſtos
Semper angores, qvia ſcit ſupremi
E Iovis dextra nebulas, & omnes
Surgere nimbos.
Qvidqvid affligit, dolor, & moleſtus
Pectoris mæror veniunt ab illis
Numinum regnis , hilariq́ miſcent
Triſtia ſudo.
Gratior qvò qvis ſuperis, probatur
Per procelloſi vada ſæpe ponti:
Sordidos, terræ genitoſq́, nullus
Vexat amaror.
Firma Te virtus qvia, fama prompto
Te qvia illuſtris comitatur axe,
Invidens ex nunc fremebunda ducit
Prælia livor.
Hæc ſed ignavas niſi dura nôrunt
Et minus notas lacerare mentes :
Qviſqvis eſt fortis , reicit, datumq́
Ridet ad ictum.
Sat tibi, magnæ ſupereſtq́ famæ,
Ponderat dum plùs melior; maligna
Ora non claudes, niſi ſolvis uno
Omnia riſu.

ODE

ODE VII.

AD

STANISLAUM IABŁONOWSKI,

Caſtellanum Cracovienſem, Supremum Exercituum Ducem.

Gentilitium IABŁONOVIÆ DOMÛS *Inſigne adornatur.*

IBo! ibo Vates, qvò IABŁONOVIIS
Pes ducit armis. Ibo! ſeqvacibus
Armata qvo præit Thaliæ
Planta tubis, ſubitoq; grandes
Ingreſſa calles ultrò ſuperſtitis
Sat pulchra dat veſtigia gloriæ,
Inſignis & famæ decorum
Sternit iter, patrijſq; præfert
Proh! quanta ceris fulmina bellici
Alumna Martis. Falx ubi vindice
Armata ferro, pullulantes
Si qva parit mala gleba vepres,
Exſcindit, atras & Lacheſes truci
Minatur hoſti. Crux ut Heraclio
Semel triumphalis ſuperbam
Non levibus Babylona bellis

Attri-

Attrivit, ac in Cofroa inhofpitum
Compreffit Euphratem; à gravidis ita
Nec nunc fuperfedet trophæis:
Sed rabidum modo dura tellus
Obtrudat hoftem; barbaricas ftatim
Compefcit iras. Et Soleæ decus
Dotale non fiftit, fed omnes
Ire moras iubet, evolanti
Par qvando nimbo cum Selymo vagos
Præit Diores, turpe putans levi
Hærere cum Nifo ruinâ,
Aut pofitam titubante calce
Subire metam. Nec popularibus,
Pes, vena plectris; qvem Patriæ bafim,
Qvem fulcrum, & ingentem columnam
Sarmaticus veneratur Orbis.
Pes, qvem fuperbis verticibus gravem
Audacioris cruda freqventiùs
Arena Bellonæ cruentè
Per medias ftupet ire cædes.
Pes, qvem Polono non benè limite
Ambire tentes; qvò Tanais fuos
Evolvit æftus, qvo Britannum
Mercifluis mare ditat undis,
Et qvò decoris Seqvana flexibus
Baltifq; multo frigidus Æolo
Dimanat; excurrit, Lechææ

Grande decus referendo gentis.
Ibo! ibo Vates, qvò IABŁONOVIIS
Pes ducit armis. ibo; ſed impigræ
Vix penna ſuffectura plantæ
In medio ſtetit ipſa curſu.

ODE VIII.

CERTAMEN

Honoris Pontificij,
Cum meritiſſimæ Senectutis Viro,
ILLUSTRISSIMO DOMINO,
D. CASIMIRO SZCZVKA,
Nominato Epiſcopo Culmenſi & Pomeſaniæ.

Hon. Qvamvis tardus Honos, emerito tamen
Captandus ſenio. Culma dat Infulâ,
Oblatum CASIMIRE
Promptâ ſume Pedum manu.
Szc. Annoſumne Senē Purpura, vel facet
Invitet vetulam Scipio dexteram?
Fractos cûi ſenio ægrè
Suſtentat baculus pedes.

Hon.

Hon. Nil obſtat ſenium, quod meritis viget,
Nil obſtat fragilis ſarcina corporis :
Dum non langvida virtus,
Nullam ruga facit moram.
Szc. Dum vixi vegetus, Præſuleis eram
Ornandus trabeis : nunc miſerum labor,
Exeditq; ſenectus,
Quid cum iſtis mihi Faſcibus?
Hon. Si velles vegetus, magnificis Tuum
Ambirem ultrò caput cingere tænijs,
A qvovis generoſus
Sed Tu transfuga Culmine.
Szc. Si ſprevi vegetus, quid patiar Senex
Tam duro gravidum pondere muricē?
Laſſis quidve lacertis
Ingens ponis Honos onus?
Hon. Non eſt pondus honor, functa laboribus
Dum cervix meritas accipit Infulas :
Illi maxima moles,
Cùi nullo merito Infula.
Szc. Illos ornet Honor, qui cupidis nimis
Aſpirant ſtudijs : nulla mihi fames,
Nullus creſcere fervor,
Dulcis, quam teneo, qvies.
Hon. Sed fit ſæpè, qvibus gratus Honos,

Illos ob nimium despicit ambitum,
Contemptimq; repellit,
Quos ardens cruciat sitis.
Szc. At nunqvam senio mens fuerat meo,
Vt canis cuperet fulgere crinibus,
Mortem vera senectus
Non qvenqvam reputat gradû.
Hon. At respexit Honor, vidit & indolem
Vltrò se tacitis volvere nubibus:
Crimen; ni ista nitentem
Gestet cæsaries Mitram.
Szc. Qvis me sepositis extrahit angulis,
Ac augusta Senem ducit in atria?
Nix infusa capillis?
Et Coæ studeant Tyro?
Hon. Ignoras agiles Principibus manus,
Longas siq; velis dicere; maximi
Tangunt SCVTA IOANNIS
Tantum culmen & ingerunt.
Szc. Agnosco Dominæ Sydera Gratiæ,
Et pronus veneror. Vividioribus
Verùm tanta coruscet
Vellem Gratia brachijs. (pi?
Hon. Legem magnanimo vis dare Princi-
Clarè Sceptra vident, quos trabeant
Votis Roma secundis (Viros.
Ad tantum stimulat decus.

Szc. Votis ergo Tybris, Romaq; calculo
Subſcribit veteri provida qvercui?
Ah! neſcit cariem, quam
Feſſis ſentio viribus.

Hon. Eſt tinctura novæ pulchra modeſtiæ,
Ad laudes proprias & meritum, pu-
Quò vitas magìs, amplis (dor.
Hòc Tu dignior Infulis.

Szc. Virtus eximijs vel ſine faſcibus
Campum ſemper habet, nec titulis e-
Privatus quoq; circus, (get.
Magnæ ſufficit indoli.

Hon. Virtus eximijs vel ſine faſcibus
Illuſtris fateor: ſplendidius tamen
Semper nacta theatrum,
Alto admota cacumini.

Szc. Non eſt ſvave decus, ſollicitudinis
Qvod plenum, validus remigium pe-
Iſtis abſq; theatris, (tat.
Laudatum dabo Roſcium.

Hon. Peccat, qui renuit; Gratia Principis,
Et Romæ properans urget ubi favor:
Palmis Culma ſupinis,
Dum juſtas adicit preces.

Szc. Si ſic Roma jubet, ſi Clypei favor
Regnantis; cupidis ſi precibus petit
Supplex Culma; ſenile
Flecto tanto oneri caput. O-

ODE IX.

AD

PETRVM ROSTKOWSKI,
Varmienſem Canonicum, Cuſtodem Culmenſem, Abbatem Mogilnicenſem.

Dum vacante Sede Epiſcopatûs Culmenſis, Adminiſtrator electus, brevi ad eiuſdem Epiſcopatûs Infulam, Avunculum ſuum, CASIMIRUM SZCZUKA, Nominatum Epiſcopum, ex literis accepiſſet.

IO! quid eſt hoc? quod tibi tradidit
Vix perlegendam curſor epiſtolam,
Lætante ſic vultu receptos
Multoties relegis libellos.
An Scuta iunctis Regia Gratijs
Duxêre currum? Tequè ſuo ſuper
Vmbone ſumptum, purpuratis
Vltrò parant redimire vittis?
An Culma multa deînde panegyri,
Ex Adminiſtri munere publicos
Indicit applauſus, in unum
Iuncta videns coijſſe ſenſum,

Sic Vota Fratrum, ut de proprijs Tibi
Qvivis remittens ſpiritibus, pari
Par qviſq; cederet, vacante
Imperium regimenq; ſede.
Nil eſt qvod exhinc inſolitis Tua
Tantùm reſultent pectora plauſibus:
Majora Tu ſemper mereris,
In peregrè cui viſitatis
Polita terris emicat indoles,
Et illa Virtus, quæ Themidis ſacræ
Probata quinqvies bilanci,
Ad meritos gradus eſt honores.
Tamen triumphas, neſcio gaudia
Ad tanta quaſi percitus entheo,
Pectuſq; dulcedo pererrat,
Ac hilarem jubet eſſe mentem.
Io! ter io! forſitan inſonas,
Ad Pomeſanam SZCZVKA quod Inſulam
Vltrò reqviſitus, colendo
Admoveat ſua Raſtra Culmo.
Io! ter Io! ſi prior incipis,
Seqvente nec nos negligimus chely
Cantare millies idem io!
Et fidibus, cythariſq; lætum
Iuvare feſtum. Non quod Avunculus
Aſcendat Hector, non quod ad Inſulam
Affinis eluctetur ortus,

Non quod ad eximiam vocetur
Sangvis propinqvus deniq; Purpuram;
Sed orba possit Culma quòd optimo
Gaudere Patre, non profano
Quod resonent elementa plausu,
Venîsse prisci tempora sæculi,
Qvêis non petitæ, sponte sed obviæ
Ruunt Tiaræ, & estò canam,
Sed meritam decorant senectam.

ODE X.

AD

STANISLAVM DONHOFF, Capitaneum Koscierzynensem, Palatinidam Pomeraniæ.

Achille quantùm Thessalico Thetis,
Beata tantùm Te Genitrix suâ
E prole gaudet, magna magnæ
Progenies STANISLAE Matris.
Spartana nutrix Peliacos Tibi
Qværit Chirones, sub qvibus indolem
Ad summa formes, prodeasq;
Digna Tuo Soboles Parente.
Materna nec jam pectora pallidi
Torqvent timores, ut Phrygijs ubi

Sævi-

Sævitur armis, Te relinqvat
Fæmineæ Lycomedis aulæ.
Sed eruditi poſt juga Pelij,
Et Hippocrenis flumina, Thracium
Aſſignat Hæmum; ibi reducto
In teretem calamo mucronem
Monſtrabis orbi, quàm docili nihil
Menti repugnat, laurigero priùs
Studere Phæbo, poſt ſeveri
Signa ſeqvi graviora Martis.
Sic Te mariti conſcia fæderis,
Enixa Natum Magna Parens, Tui
Sic illa non oblita Patris,
Vt medijs qvibus hic, ijſdem
Te poſcat altam qværere gloriam,
Et Martiales ingerat impetus,
Poſt ducta de libris theatra,
Vt rigido ſtudeas Gradivo.
Te Patre functo, dignum & Avunculo
Monſtra Nepotem, cumq; Pijs Tuam
Formabis in Scholis juventam,
DONHOFIIS ſuperadde palmis.

ODE XI.

AD
PETRUM DUNIN,
Societatis IESV.

NI Cygne pennis ultrò Tuis meam
Olim excitâſſes candidior Chelyn,
Regniq; ni Primas moneret
Ad Nomium properare Phæbum;
Fortaſſe deſes ſterteret entheus,
Neglecta buxus forſan inertibus
Hucuſq; dependiſſet uncis,
Nec nitidam mea Muſa lucem
Vidiſſet unquam. Sed monitis ubi
Res acta mecum, meq; Heliconia
Vtcunq; reſpexit Thalia,
Vela dedi, petijq; lento
Tentanda lembo Caſtalidum freta.
Tu PETRE DVNIN ille Cayſtrius
Hortator Ales, Tu Cycneis
Ad cytharam volitare pennis
Impulſor ingens. Qvas referam bonis
Grates Magiſtris? vel tumulo levet
Se Magnus ANDREAS, meiſq;
Non reſidem fidibus det aurem.
Cantabo ſummas OLSZOVII priùs,
Deinde dotes dulcis Olor Tuas,

(Nec

(Nec erubeſcet pro Sodali,
DVNINIO cui digna Mater
Prognata Cycno.) Sæcula defluent
Millena, tantum nec parient Virum,
Qvi literatos ſic faventer
Cecropias foveatq́ puro
Amore Divas. Non tituli, neq́
Primatialis Purpura culminis,
Fortuna non ingens, & amplæ
Divitiæ potuêre magnam
Ab eruditæ pectore Palladis
Movere mentem. Plus ſtudijs dedit
Libriſq́ ſcribendis, diſertæ
Eloqvij, calamiq́ venæ,
Qvàm fert ſuperbæ mos opulentiæ;
Primiq́ ſi qvis Principis inclytam
Spectabat Aulam, penè doctam
Obſtupuit coijſſe Delphum.
Dum nullus adſtes, nec lateri comes
Admiſſus, in qvo vel ſchola Tullij,
Vel os Demoſthenis, ſupremam
Non agerent ubicunq́ pompam.
Condita nunquàm menſa alio ſale,
Qvàm qvi profundis de ſapientiæ
Prodit fodinis, poſtq́ ſumptum
Prata cibum peramæna læti
Traxêre campi. Qviſq́ ibi proprij

Promebat amplas ingenij dapes :
Svaveſq; diſcurſus, ſecundam
Sympoſij ſubiêre menſam.
Tu verò qvantus docte DVNIN amor,
Lojolianæ qvando modeſtiæ
Inſignis actor, Purpurati
Herculeâ veluti catenâ
Pectus trahebas OLSZOVII. Nihil
Facunda prompſit lingva, Caryſtium
Qvod non Apollinem ſonaret,
Omniſciam ſaperetq; mentem.
Locuta nunqvàm Svada diſertiùs,
Qvàm Tu locutus ; ſeu ſacra fulminans
Conſcenderes in roſtra præco,
Seu mediâ loqvereris Aulâ.
Tu, qvidqvid olim Tullius eloqvens,
Qvidqvid Qvirinus luſit Horatius,
Vel Strada veſter; vel Lechæi
Sarbievius ſtupor ille mundi
Ex erudito protulit entheo ,
Proferre doctus, non ſine maximo
Gentis Lojolianæ honore,
Eximio Olſzovijq; plauſu.
Et hæc ſtupendi me attonitum dabant
Miranda Cycni. Vox Tua claſſicum,
Illudq; doctrinæ theatrum ,
Ad Latiam mihi circus ingens
Omni-

Omnino famam. Sic volucrum ſolent
Pulli minores, vel teneras adhuc
Probare vires, ſe vel uda
Tollere humo, cupidiſqꝫ ſurſum
Levare plumis; qvando Aqvilam vident
Secare latis æthera paſſibus,
Ipſaſqꝫ vel ſubinde nubes
Non temeris penetrare pennis.
Sic ille primò naviculam levem
Diſcit minori credere flumini,
Dum ſpectat, ut verrit peritus
Cæruleum Palinurus æqvor.
Exempla ni nos præſtita provocent
Maturioris ſæpiùs ingenî;
Sopitur indoles. Achilles
Æmonio careat Magiſtro,
Et iſte langvet, ſegnis & in nigris
Hebeſcit antris. Omnibus eſt via
Proclivis ad lucem, præêunte
Sed face opus: detur ære ſignum,
Et pugnæ amorem ſumit eqvus ſtatim,
Totuſqꝫ fervet, dum tubicen cavo
Dat claſſicum cornu, monetqꝫ
Concha novi fremebunda belli.
Qvod ſcuta caſtæ præfero Palladis,
Qvod utor arcu, qvod vel Apollinis
Porto pharetram, qvod ſonoris
Caſtalidum recreer fluentis,
Qvod

Qvod me Latinis inſero vatibus,
Vt prima primi gloria Principis,
Secunda ſic Cygni, mihiq́;,
Aſſiduo recitanda cultu.

ODE XII.

AD

CASIMIRVM IOANNEM SZCZVKA,

Dum in Culmenſem Epiſcopum conſecraretur.

ET ſic trecentis dives adoreis
Conſpirat in Te blandus honor, diem
Simulq́; dicit, vindicemq́;
Pro ſolito ſibi more litem
Intendit. Eheu! nè fuge concitis
Secutus alis ille vel ultimam
Conſcendit Arcton, & ſub ipſa
Pennigeris volat aſtra remis,
Neſcitq́; curſûs ponere terminum,
Ni conſeqvatur; qvem nec inhoſpitus
Siſtit Bootes, nec profundis
Oceanus remoratur undis.

Io!

Io! triumphat, Victor, Honor, Tuos
Premitq; passus: gemmiferis Io!
Instat coronis, ac amicè
Præsuleâ redimit Tiarâ.
Formosa virtus per tacitas enim
Lippire caulas nescit, & inscias
Hiare per sortes, sed ipsas
Pegaseo properat volatu
Ad usq; Gades, & super invias
Enixa nubes, fertur in arduos
Subindè cælos, ac Honoris
Arbitrio manet inter amplos
Secura fasces, qvos neq; turgidis
Horrenda flabris Cyclas, edax suo
Non Caurus afflatu, maligno
Non violet Boreas furore.

ODE XIII,

AD
STANISLAVM BONIFACIVM
KRASINSKI,
Capitaneum Stumensem,
Palatinidam Płocensem.

Monet

MOnet diſerti Corvus Apollinis,
Avuſq; Mavors, Herculeam potens
Hortator ad clavam, ex utroq;
Fama Tibi referenda cornu,
O ! Nate magni Sangvinis, & Tui
Corona Patris. Non decet inclytam
Torpere ſtirpem, quò Volucris
Præpetibus Tua ducit alis,
Huc perge felix, profer & indolem
Ad ſumma natam. Docta modò haud rudē
Adaptet ægidem Minerva,
Lecti animum recreentq; libri :
Poſt dum vocabunt claſſica, grandior
Et creſcet ætas, impiger alitem
Conſcende bellator caballum,
Teq;, Tuoq; Parente dignam
Ordire ſcenam : mox celeres Honor
Iunget qvadrigas, Teqvè curulibus
Portabit in celſis ad illas,
Qvas Proavi tenuêre, metas.
Ego iſta vates fatidicis Tibi
Propono votis, cum ruditas prior
Calcatur hoſtis, menſq; magno, &
Ingenium properat volatu.
Si tanta vernæ flore puertiæ
Impubis audes, qvanta ſeqventibus
Deinde non audebis annis ?

Dum

Dum famulus Tibi ſubjuganti
Se ſternet Iſter: qvando ab Avo Tibi
Relicta torvum Clava Boryſthenem
Confringet, & Corvus Paternis
Qvando vehet ſuper aſtra pennis?

ODE XIV.

AD FRANCISCVM WOOD,

Theſauri Regni Notarium.

Nihil in mortalium rebus ad ſuam pulchritudinem ſic exactum, qvod non fatiget contemplantem.

PVlchrum nil adeò, nil adeò bonum
Fert mortale genus, qvod cupidam ſui
Servet ſemper orexim,
Et non ſit ſinè tædio.
Humanis oculis intuitus prior
Objectas facilè laudat imagines:
Mox idem ſatiatus,
Viſas ſpernit imagines.
Nil extrà poſitis pulchriùs urbibus,
Qvas vel Soſa ſuo circuit alveo,
Vel priſcis Tyberinus
Amnis ſtringit amoribus:

Has tanto ſtudio ſpectat ab ultimis
Luſtratum properans advena finibus,
Celſas aſpicit arces,
Et pompoſa palatia.
Primò aſpecta placent, mox oculus ſatur,
Contemptis reditum præparat arcibus,
Faſtiditq; , quod ante
Longis quæſierat vijs.
Aulæis paries Phocaicis nitens,
Et dives Tyrij copia muricis,
Accerſit peregrinam
Ad ſe deniq; palpebram.
Fuco tincta tenet purpura Punico
Captivos oculos : lana brevi & color
Afri deſipit oſtri,
Phæniſſæq; labor Tyri.
Invitant niveis lilia veſtibus
Et fætâ varium germen in arbore,
Narciſſuſq; rubeſcens,
Ac mixtæ violis roſæ:
Nil verno potuit jugere gratiùs
Vmbroſoq; dari nil topiario :
Hæc, pupilla ſeqventi,
Tranſit paſta ſemel, vice.
Et qvamvis breviter regna, vel Africa
In pictis tabulis cernimus æqvora,
Faſtiditur & Orbis
Parvo viſus in otio. Nobi-

Nobiſcum tacitâ mente revolvimus
Hæc FRANCISCE ſimul. Nil adeò bo-
Nil hucuſq; beatum (nùm,
Humanæ obvenit indoli.
Sola æterna ſuum nonniſi limitem
Humanæ ſtatuent ſollicitudini;
Qvidqvid qværitur extrà,
Primo deſpicitur die.

ODE XV.

Lugens Pauperum Chorus.

In mæſto egenus diſceſſu CASIMIRI IOANNIS SZCZUKA, *Epiſcopi Culmenſis & Pomeſaniæ, ad Pontificiam Cathedram Varſaviâ moventis.*

PAuperum ſurdi niſi vota cæli
Reſpuant, multâ prece ſupplicamus,
Vt Tibi firmæ diuturna nentur
Stamina vitæ.
Intereſt, multos numeres ut annos,
Clauſa cûi nunqvam manus, irrigante
Defluit rivo, generoſa largi
Æmula Nili.

Impi-

Impigri ſed qvò properant jugales?
Qvovè feſtinæ cojere rhedæ?
Deſeris forſan Pater indigentem
Optime turbam.
Sit dies felix alijs, Tibiq;
Fertili ſedem poſuiſſe Culmo:
Sit dies felix, ſubit ut merentem
Scipio dextram.
Flebilis nobis domuiq; noſtræ,
Flebilis nobis penoriq; noſtro,
Qvando præſenti caritura ſupplex
Palpebra Patre.
Mille poſt vivent, neq; CASIMIRVS
Alter, in noſtros ita liberalis
Surget aſpectus, miſeros ut omni
Protegat horâ.
Tu Tibi demis, qvotiès egemus,
Tu Tibis demis qvotiès benignam
Poſcimus dextram, velut alluentem
Area fontem.
Tu Tibi demis qvotiès patentes
Imus ad valvas; neq; pompa grandes
Poſcit impenſas, modo deſtitutos
Paſcat egenos.
Ipſa, qvæ tanto fabricata ſumptu,
Ingemit moles, inopumq; ad uſum,
Structa pomposè renovant acerbum
Tecta dolorem.

Dùm sui spectant abitum Parentis,
Dùm sui arreptum Domini recessum
Cogitant, fixum memoriq; volvunt
Marmore vulnus.
Si rudis moles, minimèq; vivens
Indolet saxum; qvid hiulca nobis
Corda dùm spirant? reprimentnè summum
Vivida luctum?
Muta non pauco gemitu perorant
Saxa; nos læto maneamus ore?
Mens ubi mæret, lachrymasq; pleno
Elicit imbre.
Sed qvid effusis ita deprecamur
Et viam, & cæptum lachrymis recessum?
Prompta persvadent iter evocatis
Carbasa ventis.
Ibis & nostri minimè reducent
A via planctus? modò Tu Paternam
Sic manum serva, stipem vt & remotis
Mittat ab oris.
Sol fatigatas etiam qvadrigas
Vrget, immensum qvoties per orbem
Volvitur, nigras qvotiesq; pergens
Dissipat umbras.
Currit & parvam revidet bidentem,
Matris an puro satiata lacte:
An pecus demùm tenuit petitam
Lassa qvietem.

It per immensas spatiando sylvas,
It per abstrusum nemus, & virentes
Respicit frondes, placidâq; lustrat
Omnia fronte.
Vult & halantes peragrare campos,
Vult & hortensem revidere glebam,
Cuncta scrutatur, minimæq; præsens
Prospicit herbæ.
Svadet interdùm violenter acrem
Pigra nox somnum, properusq; cursum
Poscit à Phæbo Pyrois, citumq;
Temo regressum.
Sol abit pulsis redeundo nimbis,
Sol abit primum revocando manè;
Interim pendet vigili ad relictam
Lumine terram;
Et videt, si quæ violæ vel hyblæ
Proprij langvent abitu caloris;
Occidens vix dùm, subitò relictis
Providet hyblis.
Sic suum mæsto comitata Solem
Nostra paupertas gemitu, supinas
Elevat dextras, qverulis molestans
Sydera votis.
Ibis, ast nostro SZCZVKA Magne damno,
Vltrò currentem capiesq; Mitram,
Orba gaudebit vigili proboq;
Præsule Culma.

Nos tamen noſtrum memorando Patrem,
Nos tamen noſtros repetendo planctus
Flemus, humentes lacrymas, nec ullus
Comprimet æſtus.
Tu velut Titan abiens, qvid æger,
Qvidvè mendicus petat, ac modeſtis
Sarcinæ poſcant precibus, retorto
Aſpice vultu.

ODE XVI.

ANTISTITIS ILLUSTRISSIMI,

Verus in Pauperes amor.

PAuper turba luges, interea mihi
Sic commota tuis viſcera luctibus,
Vt veſter dolor in me,
Et totas veniat fibras.
Diſcedo, levium non ſitiens opum,
Non ditis cupidus portitor Infulæ:
Commiſſi violentam
Vrget cura viam gregis.
Et ſol ſe roſeis ſubtrahit axibus
A mundi facie; non ideò tamen
Orbus redditur Orbis,
Si fulgens abeat jubar.

Non

Non desunt vigili lumina lampadi,
Aspectum esto rapit, servit adhuc Phanes,
In summoq; refulgens
Terram respicit infimam.
Nec vos sollicitis plangite qvestibus,
In nostro positus ROSTKOVIUS loco;
Vos me credite Solem,
Hunc Solis radium sui.

ODE XVII.
AD
VENCESLAUM SZCZUKA,
Culinæ Regni, & S. R. M. Legionis Præfectum, Vavelnicensem Capitaneum.

Pulchrum heroicæ virtutis testimonium, triginta aliqvot prælijs bellatorem interfuisse.

NAtalis ortus si nisi nobilem
Probat Nepotem; si nisi sangvine
Nasci Palatino decorum,
Patritijs redimiq; cunis
Si sola tantùm fama, superfluæ
Est scena pompæ; non ego nobiles
Dedi-

Dedignor ortus, arroganti
Non ego Progenies vetuſtas
Proſcindo nervo: ſed ſibi in hoſtium
Qvi tingit amplam ſangvine Purpuram,
Hic Nobilis mihi. paternis
Se tumidè niſi ſublevantem
Perſtringo ceris ſæpiùs Icarum.
Ambage qvavis abſq; , Vir eſt, rigens
Arena qvem probat; probatum
Reddit atrox pugilemq́; campus.
Pulchrum; Parentum non mediocribus
Gaudere geſtis ſi poterit Nepos:
Sed pulhriùs; præter Parentes,
Si proprijs qvoq; fulget actis.
Sangviſq; longè nobilior, teres
Qvo mucro fuſis tingitur hoſtibus:
Non ille; qvo natalis hora,
Et teneræ maduêre cunæ.
Nunqvàm ſuperbi Nobilitas agat
Sic plena faſtûs; ut niſi faſcijs,
Lucina qvas lavat, tumeſcens
Prociduum ſibi credat Orbem?
Major vetuſtæ fama Propaginis,
Si bella tractat: major, & aſperas
Si per cicatrices avitæ
Vt Domui, ſibi ſicq́; grande
Pandit theatrum. Te LVCIIS parùm

Prodiſſe, vel nil, proderit ignibus,
Ni caſtra cum RASTRIS Gradivo
Conſocies meritura Marti. (plex
Non qvòd SZCZVKARVM non faciat tri-
Ad glorioſam COLLIS originem ;
Non qvòd ſuperſtitem venuſtent
RASTRA minùs SZCZVCIANA
ſtirpem.
Sed qvòd reqvirunt non in agreſtibus
Hæc RASTRA pratis, belligerantibus
Arare ſed campis, novoq́;
Ipſa petant niſi caſtra cultu.
Addi Paternis Stemmatibus putans
Dùm SZCZVKA qvivis; ſi Patrios ſuâ
Virtute colluſtrat Penates,
Barbaricoq́; rubet cruore.
Hinc qvanta fortis gloria pectoris,
Te qvina pluſquàm prælia ſexies
Subîſſe Bellatorem, & arma
Impavido tenuiſſe corde.
Totamq́; ſolis papilionibus
Foviſſe vitam ; non ſterili manu
A CASIMIRO uſq; ad IOANNEM
Continvas numerando palmas.
Nec Chocimenſem belligerâ Tyram,
Iſtrumq́; , tantùm ſtringere dexterâ,
Sed arma qvò profert IOANNES,
Hùc comites adhibere peltas. Al-

Alter cruentam ſi videat ſemel
Heres arenam ; jam ſibi vel Tyrum,
Vel Bactra debellata credit,
Nec Geticum repetit ſeqventi
In verè campum. Tu qvoties tubis
Conchiſq; dantur claſſica; protinùs
Ad arma procurris, domandum
Aſſiduò properans in hoſtem.

ODE XVIII.

OLORIS DUNINIJ,

Bello, pace, legationibus meritiſſimi,

Honoribus Illuſtriſſimi

ALITIS.

AD

PETRUM DUNIN

è Soc: Jesu,

Relatio Lyrica.

DOmum & vetuſtis portor in atria
Fumoſa ceris ; hùc celeres move
Thalia paſſus, & dicati
Si qva manet tibi cura Vatis,

Menti profundos ingere ſpiritus,
Qvâ non agreſti carmine nobilem
Eluctêr ad nidum, CYGNVMqꝫ
Haud humili celebrem Camæna.
Non ad Cayſtrum, non vitrei ſupra
Ripas Cayci devolat hæc Avis,
Ad vile non pendet fluentum;
Ad gelidum potiùs ſed Hebrum
Stativa ponit: non alios amans
Formare cantus, qvàm reboantibus
Qvi machinis conſtant, tremendis
Qvivè fremunt lituis fragores.
Vt Dana liqvit littora, Lechicæ
Ad ſtagna Vandæ progeniem ſuam
Sedemqꝫ contulit, ſimulqꝫ
Armiſonum voluit Gradivi
Subire currum. Vectus ab Alite
Mars noſter iſto, per juga montium,
Per teſqva, per rupes acutas,
Sangvineos adeoqꝫ campos.
Et lingva qvamvis fæmineo fuit
Succiſa ferro, non ideo tamen
Aut deſijt loqvi, aut adunco
Arma ferox crepitare roſtro.
Qvi de polito marmore providis
Poſtqvam locavit Cælitibus domos
Prope octies denas, profuſo
Ac Superos veneratus auro;

Ad arma totus, totus & arduum
Defertur Hæmum, deſpiciens lacu
Hærere cænoſo, nec alas
In rigidis numerare caſtris.
Non odit unqvam bellica ſtrenuas
Arena mentes, qvin magis uberes
Profert triumphorum maniplos,
Qvando videt generoſa promptis
Inſtare bello pectora paſſibus:
Sic non Olori Mars meritis ſacra
Invidit in ſignis trophæa;
Sed rigidè rutilante Scuto
Haſtâq; fortem munijt Alitem.
Aleſq; tectus fulminei ſatis
Umbone Martis, Pomeranos
Per tragicas properando cædes
Secutus hoſtes, ut poſitis fugam
Armis inirent, caſtraq; divite
Onuſta prædâ deſtitutam
Defererent fugiendo Puſcum.
Amat ſeqventes laurea laureas
Præmiſſa, palmam palma prior parit,
Strageſq; præludit ſecundæ
Auſpicio meliore ſtragi.
A Pomeranis Pannonicas itum
Adversùs Urbes, Hungaricis ubi
Princeps reqviſitus Coronis

Et viduo CASIMIRUS ostro.
Hîc militares duxerat ordines
Turmasq; CYGNUS, Principis huîc suam
Fortuna credidit carinam,
Sollicitos trabiumq; remos.
Qvòcunq; demum Lechica stridulis
Bellona conchis intonuit, Viros
Regni necessitasq; fortes
Ad clypeos habilesq; contos
Vocavit, illuc non trepidis Olor
Festinus alis iverat, acriter
Non ore tantum,, verum & ære
Sarmaticas animando mentes.
At grande crimen, sub g lea cui
Si canet ætas, non itidem memor
Regnantium thronus labores
Aut modicè facit, aut supino
Sopit veterno. Miles in asperum
Excurrit hostem, non proprium dolens
Fudisse sangvinem, rudiq;
Vendibilem faciens metallo
Vitam freqventer, dummodo præstitis
Condigna sumat pensa laboribus,
Stipendijs tam, qvam recepto
Vilem animam recreando nummo.
Qvos verò plenâ nutrijt amplior
Lucina mammâ, qvos vel opes Patris
Ma-

Matrisq; fortunæ petito
Non tulerant eguiſſe pane ;
Hi bella tractant, ut fluitent novæ
Per alta famæ, purpureis Honor
Vt vectet inſignes qvadrigis,
Puniceis cumuletq; ſertis.
Hos intuetur palpebra Principum,
Hos providentis lumine Gratiæ
Ut reſpicit, ſic ſæpe digno
Pro meritis veneratur oſtro.
Non ſpe lucroſæ Veſter OLOR ſtipis
Ad bella promptus, cûi ſatis eſt, ovans
Si per Palatinas curules
Pegaſeo properat volatu.
Hinc Scipiones, hinc Patrij dedit
Sigilla Regni Lechia, Martias
Hinc illa Clavas promerenti
Depoſuit retulitq; Cycno.
Ornata Virtus ſepoſitâ neqvit
Condi ſub urna, nec piceis Olor
Se nubit umbris, aſt Iberi
Heſperias petit ultro portas,
Et ſacra Romæ ſub Capitolia
Legatus intrat, non ita ferrei
Auriga Martis, ut diſerti
Excutiat juga docta Phœbi.
Probata Gentes Svada per exteras,

Cygnoq́; , Sais Pallas eburneo
Applaufit ore, qvod recifâ
Tanta canat fapiatq́; lingvâ.
Sed de vetufto hucufq́; ftrepens ego
Olore Vates, qvam Tibi Signifer
Bufcenfis olim, nunc Senator
Digne Lubacovienfis inter
Caftella terræ prompfero barbiton?
Qvæ fila tanto digna traham Viro ?
Cum Filio Parens recentes
Qvando vides properare fafces.
Non fat qvaternos plus decies feqvi
Rauci per annos murmura claffici,
Non fat fuperftitem relictæ
Ex Proavis ftuduiffe famæ ;
Ni fæderatos follicites polos,
Et templa Divis è folido ftruas
Superba faxo. Filiufq́;
Grande Tibi columen Parenti,
Qvem vefte vidit tectum adamantina
Vienna Martem, qvem valido globus
Acceffit ictu, militaris
Qvove fuo Duce gaudet ordo.
Nec SVENTOSLAI penna Sadomirîs
Non nota terris, cûi propriam Themis
Reducta commifit bilancem,
Inq́; finu reqviefcit alto

Secura ſomno, cûi vigor ingenî,
Doctrina, blando ſuavis amænitas
Vultu renidens, & trecentæ
Cûi animum ſubiere dotes.
Verùm qvis auſus me temerarijs
Hûc ire pennis? remigibus præit
Qvo Cygnus alis, & canoro
Attonitas trahit ore Nymphas?
Nil vile ſiſtrum, nil tenui juvat
Arundo cantu; cùm modulamine
Ipſe, ipſe ſuavîore Cygnus
Æthereas bene mulcet aurès.
Tu PETRE plectrum ſume DUNIN, Tuâ
Dignumq; carmen profer ad Alitem:
Me ſat Cayſtriæ Volucris
Vel minimas tetigiſſe laudes.

ODE XIX.

AD

MARTINUM KATSKI,


Palatinum Kijovienſem,
Artileriæ Regni Generalem Præfectum.

IMus? vel acres ſegnis adhuc mora
Diſtendit auſus? cedite Lentuli

Et lenta qvos virtus alacri
Non patitur properare greſſu.,
Ægrèq; tardum langvida promovet
Teſtudo paſſum. Pulverem Olympicum
Tu miles ingreſſus fatigas
Fulmineo pigra monſtra curſu;
Nimboq; compar & Selymum, & citos
Præis Diores, neſcius ad levem
Hærere cum Niſo ruinam,
Aut poſitam titubante calce
Tardare metam. Per ſalebris graves
Tu ſæpe calles, per gelidas nives
Volas Alexander Polone,
Difficiles neq; frangis Alpes
Mordaci aceto, ſed gladio. cui
Eſt pro Paterna non Leo teſſera
Sed Cervus haud ſegnis, Nemæos
Qvi ſuperat tamen & Leones.
Tu Martiali vividus impetu
In Tauricani cornua Boſphori
Deſcendis audax; Tù Gelono
Perpetuas inimicus hoſti
Moliris iras, duraq; Martium
In colla ferrum, vel Mareotica
In membra diſtringis mucronem
Letifero bene notus ictu.
Qvod ſi nitrato pulvere, plumbeâ

Vel

Vel ſæva nactus prælia grandine,
Tormenta qvod ſi, machinæq́;
Sulphureo reboant tonitru;
Qvàm Tu Tonanti par ubivis Iovi,
Qvam ſæpe fractis aggeribus, cavis
Infundis & Martem cavernis,
Et pluvios jacularis ignes.
Hinc qvà voraci profluit impetu
Garumna præceps, Seqvana qvà ſuos
Diſtendit amnes, ac furentem
Præcipitat Rhodanus fragorem,
Vel Bætis ingens, vel Tagus aureo
Dives metallo, ſaxea nobiles
Gadeſve qvà ſpectat Pyrene
Herculeis memores columnis;
Hac Fama promptis provehitur rotis
Et KATCIANIS laudibus attonat,
Cervumq́; Bellonæ ſacratum
Ac rigido canit eſſe Marti.
Remugit orbis, lætaq́; concavis
Reſultat echo rupibus undiq́;,
Nec ſylva, nec vallis retorto
Non reſonat fremebunda plauſu.



ODE XXI.

AD

ADALBERTUM BARTOCHOWSKI,

SOCIETATIS JESU.

Dum Orientis Victori

JOANNI III.

POLONIARUM REGI,

A ſalvata Vienna reduci eruditiſſimum Panegyricum,

Fulmen Orientis intitulatum, in lucem publicam edidiſſet.

FOrtuna magni maxima Principis,
Si Martiali qvod parat impiger
Mucrone nomen, hoc futuros
Ferre poteſt remanēns in annos.
Nam nil triumphus, nil validis juvat
Oppreſſus armis hoſtis, in unico
Si palma, qvæ die parata,
Hæc alijs ſterileſcit horis.
Trophæa qvamvis magnifico manent
Erecta ſumptu, qvæ Herculeas probent
Fuiſſe vires, ac in illo
Fuſa loco trepidâſſe caſtra.

Ta-

Tamen trophæis imminet ultimus
Qvandoq; casus. & Parijs licet
Constructa de saxis theatra
Sæpe gravem subeunt ruinam.
Ni penna scribat, qvod gladius suo
Signavit ictu, ni calamus notet,
Qvod mucro fortis exaravit
Sangvineos recolendo campos,
Inanis omnis fabula gloriæ,
Agerq; tantùm mole cadaverum
Tumescit unus, dissolutis
Mox pereunt monumenta truncis.
Molita qvantùm Roma suo potens
Olim Trajano! dum Capitolium
Vel duxit obvium, vel altas
Phidiaco statuit labore
Manuq; moles; dum spolijs graves
Currus trecentis vinxit adoreis;
Arcus triumphales, & ære
Dum solidos posuit colossos.
Hos apparatus magnifico satis
Sumptu paratos si cupide seqvens
Inqvirit ætas, præter unos
Non reperit ruderum lapillos.
Exstincta magni gloria Principis,
Sepulta Romæ magnificentia;
Qvod Plinius scribente penna
De Ausonio retulit Trajano,

Hoc eſt Traiani. cætera barbaro
Oblivionis preſſa jacent ſitu ;
Et Roma & orbis de peractis
Immemores reticent triumphis.
Achillis unam vidit imaginem
Magnus Macedo, ſe lachrymis ſtatim
Perfudit, indolens, Homero
Se domiti caruiſſe digno
Scriptore mundi. Hinc, qvi dominũ Tyri,
Mariſqꝫ rubri, divitis Aſiæ,
Delinearet penicillo,
Sollicitis ſtudijs Apelles
Qvæſitus: ingens gloria Principum
Reddi perennis ſi cupit, eloqvens
Hanc penna ſcribat, poſteriſqꝫ
Præla ferant repetenda luſtris.
Qvàm Te beatus Sarmatiæ ſuo
Scriptore Princeps : Purpura nobili
Qvàm BARTOCHOVII colore
Tincta ſatis, Clypeiqꝫ vincens
Regnantis Umbo qvàm calami micat
Nitore docti. Non ita Plinius
Suum Trajanum, ut BARTOCHOVI
Tu Lechicum celebras IOANNEM.
Ut orſa tantum Svada loqvi Tua,
Mirata qvævis machina bellicis
Inſtructa nimbis, protinuſqꝫ,
Attonitæ tacuere conchæ,

Dum penna cæpit ſcribere grandium
Stupenda prorſus pondere ſenſuum,
Styliq; majeſtate tanta,
Ingenij Latijq; cultu,
Ut ipſe nolit vel Cicero loqvi,
Nolit diſertus ſcribere Plinius,
Tu qvando ſalvatam IOANNE
A Lechico loqveris Viennam,

ODE XXII.

AD
ALEXIVM
à CONCEPTIONE B. M. V.

Dum Author à Præpoſito olim Scholarum Piarum Generali Infulæ Cracovienſis *imprimendæ licentiam obtinuiſſet.*

DIſtincta gemmis vix meliùs poteſt
Habere poſthac Infula ſcrinium;
Qvàm qvando de aſſenſu paterno
Prompta premens ſubit ultrò prælum.
Laudem meretur, qvi calamo, integro
Se monſtrat orbi, non itidem minor
In laude ſucceſſor, qvi ad iſtam
Eſt aliqvis ſtimulator auram.

Nec præla solùm plumbea servient
Scribentis uni deniq; nomini;
Et præla qvi permittit, unam
Indubiè referet coronam.

ODE XXIII.

AD
DIVUM AUGUSTINUM
HIPPONENSEM ANTISTITEM,
Pelagianorum, Manichæorum, potentissimum hostem.

ET feriantem non finit Herculem
Antæus ignes ponere Martios,
Et angve succrescens Medusa
Stricta tuæ vocat arma pennæ.
Ibis minaci fortior Hercule
Divine Perseu, & colubri minas,
Irasq; , spumantesq; rictus
Magnanimo prohibebis ictu.
Nondum Latinis qvippe securibus
Accisa collum subdidit Hæresis,
Adhuc reluctatur, tumentes
Grandis adhuc movet Hydra cristas.
Spretisq; plures non semel ictibus
Instaurat iras, & male perfidis
In-

Inſtructa technis Africanas
Peſte premit violente terras.
It Africanus Perſeus æmulos
Adversùs hoſtes, qvâ calamo, piæ
Qvâ voce lingvæ, virulentam
Inſeqvitur reprimitq; labem.

ODE XXIV.

AD
Religioſam Scholarum Piarum IUVENTUTEM.

Nulla Apelli dies ſine linea.

FAvete lingvis, carmina poſteris,
Dicam futuris carmina ſæculis,
Qvæ CALASANTINÆ notanda
Aſſiduò repeto juventæ.
Pravè ſupino ſegnis in otio
Tractatur ætas, heu CALASANTIA
Aſſurge pubes nata magnum
Ingenijs reſerare campum.
Labore pulchros rectiùs improbo
Mercemur annos: FABRICIO jugum
Qvantas maritavit coronas?
Et virides niſi dextra palmas

Metit

Metit qvietis neſcia langvidæ.
Ignaviores pigra cui otia
Strinxere nervos, per reclines
Ille jacet niſi bucco valles.
Hac arte plenæ maxima poſſident
LOIOLIANI culmina gloriæ;
Hac arte vos famam, ſuperſtes
His ſtudijs fabricate nomen.

ODE XXV.

AD

STANISLAUM MAŁOPOLSKI, S. R. M. SECRETARIUM.

FRontem ſenectus ſubſilit, in dies
Anniq; vergunt; non tamen obſitâ
Langveſcit indoles ſenectâ,
Immò magis veneranda vivum
Promit vigorem. Sic reverentia
Major vetuſtis qvercubus, integras
Qvæ poſſident vires, nec ullum
A carie metuunt perîclum.
Matura magnæ non nocet indoli
Ætas, ob ipſam canitiem gravi
Honor

Honor Camillo, Roma felix,
Qvando ſenes ſeqvitur Catones.
Victor Darij non alio Tyrum,
Lateq; ſparſam milite Perſidem
Poſſedit, Euphratiq; duras
Impoſuit domito catenas,
Qvàm dum receptus ſub Macedonicas
Nullus phalanges, in galea cui
Adulta non caneret ætas,
Qvivè grauis ſenio verendos
Non ferret annos. Illyricos eo,
Et Sogdianos robore terminos,
Medoſq; Alexander ſubegit,
Inq; rubros penetravit Indos.
Res magna nunqvàm perficitur, niſi
Provectiorum conſilio Senum,
Speret triumphales, caterva
Si fuerit veterana, palmas.
Sed qvas Senectæ non temerarius
Appono laudes, has venerabili
Aſſume STANISLAE vitæ.
Iudicij gravitaſq; morum
Et innocentis plena modeſtiæ
Illa illa laudem poſtulat indoles,
Rerumq; praxis, qvâ occupatum
Cor KRASINI retines IOANNIS.

ODE

ODE XXVI.

AD

IOANNEM IOSEPHVM CASIMIRVM TARŁO,

Palatinidam Lublinenſem,

In primo ad Scholas acceſſu.

TE velut magni ſobolem Parentis,
Te velut magnæ ſobolem Parentis,
Non minùs lætum, Schola læta panſis
Excipit ulnis.
Hic dies nonum Tibi pandit annum;
Hic dies noſtram vehit ad palæſtram:
Palladem tracta, ruditaſq; primus
Occidat hoſtis.
Annibal vix dum fuerat novennis,
Æmulæ indixit fera bella Romæ:
Eſt Tibi campus ſchola, Tu futuris
Proſpice palmis.
Qvanta creſcentis documenta laudis!
Ad ſcholas horrent alij; ſereno
Tu volas vultu, reprimiſq; qvemvis
Fronte pavorem.

A ſi-

A ſinu Matris, gremioq; Patris
Abripi haud uni grave Puſioni,
Iſta Tu nunqvam trepidante fers di-
vortia mente.
I per oppreſſam Rudium phalangem,
Et Tuo magnum recrea Parentem
Sæpe profectu, videatq; doctum
Mater Achillem.
Firma ſpes nobis, qvia poſt peractum
In ſcholis dignè ſtudium, ſub acris
Signa Bellonæ, validiq; perges
Claſſica Martis.
Tunc ſcient omnes, Tibi qvod paratur,
Et Tuæ qvantum Domui theatrum:
Hinc & hinc poſtqvam fluet in Paternam
Fama SECURIM.

ODE XXVII.

AD
PETRVM FRANCISCVM
à CONCEPTIONE B. M. V.
Scholarum Piarum
GENERALIS SECRETARIUM.

ID Rumor ad nos ſæpe ſtrepentibus
Deduxit alis; qvod Capitolio
Tu digna Romano theatra,
Et tragicas perhibendo ſcenas No-

Nomen parasti, non sine comici
Plausu laboris. Sic animi solent
Ad magna nati, nec supinam
Nec residem retinere mentem.
Sublimis ut qvis consciùs ingenî,
Futura prudens cogitat, & libris
Scriptisq; se testatur Orbi,
Non dubius melioris augur
Post fata Famæ. Dramata Senecæ,
Duco tragædum plus ego Senecam;
Qvam dum Neronem, & per Neronem
Ausonium moderatur orbem.
Silent triumphi, qvos domitis tulit
Pompejus Afris; qvæ veteri dedit
Theatra Romæ, hæc in alma
Nunc etiam celebrantur Urbe.

ODE XXVIII.

AD
ANDREAM
NAGORSKI,
SUBDAPIFERUM BUSCENSEM.

NOn parva gloriæ Parenti pars bono
Cernere, qvos genuit,
Non deviantes Filios.

Non

Non parva gloriæ bonis pars Filijs,
Qvo præijt Genitor,
Hoc ire per veſtigium. (hunt,
Venarum aqvæ ſecum indolem ſemper tra-
Hanc ſapiunt ubivis,
Qvocunq; tantum fluxerint.
Et Sangvis excellens ad ortus reſpicit
Sæpe ſuos, propriam
Originem conſiderans. Tuâ
Qvàm Tu beatus prole NAGORSCI
Qvando pari ſtudio
Servat paternos ſpiritus.
Bellona STANISLAO ahenam caſſidem,
Terribilem clypeum,
Haſtamq; tortam tradidit.
Nupſiſſe Marti diceres fortem DEAM,
Sic cataphractus Eqves
Mavorte præſtat pectore.
Qvem non ſagitta vulnerans, non grandinis
Sulphureæ pluvia
Ullo retraxit prælio.
Per ferrum & ignes, & per enſes Noricos,
Non timidus volitat
Per mille ſtrages Optio.
Nec non IOANNES ſigna LUBOMIRII
HIERONYMI ſubiens
Pari reſultat ſpiritu.

Mens

Mens acris illi, qvodq; militem decet,
Primus inire manu,
Poſtremus enſem ponere.
Tertius amænæ Scuta ſeqvitur Palladis,
Inq; Pijs varias
Scholis meretur Laureas.
Utq; enſe Fratres, eloqvente SAMUEL
Et ſtylo, & ingenio
Uni laborant Patriæ.
Pulchrum ſenectæ nobili ſolatium
Et gladio, & calamo
Claris potiri Filijs.
Pulchrum NAGORSCIO tot annis obſito
In vetulis vegetos
Spectare ramis ſurculos.
Segnis Parentes ſæpè ſtrangulat nepos,
Dedecus & Domui
Fædo propinat exitu.
Hîc Palladi Martiq; ſerviens Trias
Et Domui & Lechiæ
Omni meretur tempore.



BENEDICTI
à Sancto
IOSEPH
Scholarum Piarum.

EPODON
LIBER VNUS.

ODE I.
AD
ELISABETAM ŁOSIAM,
VLADISLAO ŁOS,
PALATINO MARIÆBURGENSI,
Skarſzevienſi, Pokrzyvnenſi, Latovicenſi, CAPITANEO,
Deſideratiſſimo Mauſolo,
Superſtitem Arthemiſiam.

Inter eclipſes oritur, qui illuſtris moritur.

GRande tormentum, qvoties amatus
Conjugem reddit Viduam Maritus,
In domo cogit qvotieſqꝫ mæſta
Cernere ſigna.

Corda qvæ firmo cojêre nexu
Sæva mors qvando dirimit, cruentus
Pectoris lictor, nimijq; sæva
Ansa doloris.
Sed tamen qvisqvis meminit malignis
Hanc DEVM legem posuisse fatis,
Vt ferant nunqvam diuturna nostræ
Stamina vitæ,
Indolet, certum lachrymisq; ponit
Tempus, ut longo gemitu dolentem
Sauciet mentem, timet, & cadentes
Temperat imbres.
Te VLADISLAI meminisse, pulchrum
Integri semper documentum amoris;
Sis memor, tristis posito sed omni
Turbine planctûs.
Non eget tantis lachrymis, sereno
Læta qvem spectat Cynosura vultu:
Et polus pansis cui præparatus
Obviat ulnis.
Inter eclipses oritur, peractis
Qvi nisi illustris moritur triumphis,
Nec mori damnum est, ubi destinatis
Reddimur astris.
Ius in hunc nullæ tenuêre Parcæ,
Læve nec nevit Dea cruda filum,
Sola cûi virtus præit ad futuram
Vltro salutem.

Sic

Sic tuus Conjux etiam per atræ
Preſſa calcando ruit arma mortis,
Qvem polo Rectum, memoranda cælis
Reddit honeſtas.

ODE II.
AD
CONSTANTIAM ŁOSIAM,
Palatinidem Mariæburgenſem,

Dum ſtatim à morte Parentis ſui collecto omni Virgineo ornatu, maternis pedibus advoluta, eximia pietate & innocentia petit, ut poſſit divendere, congregato inde peculio animæ Parentis ſuffragatura.

VIrago fortis, & tuo CONSTANTIÆ
Nomine nobilior
Magnæ voluptas ŁOSIÆ
Spartana Te Mater? Laconnè vel Parens
Eximiam ſobolem
In hoc nutrivit ſæculum?

Quo sumptibꝰ non parcitur, corpus modo,
Putre aliqvando nihil,
Et esca verax vermium,
Exhauriat totum Padum, cunctas Tyri
Divitias & opes,
Et fulva Gangis littora,
Insignis ostro dum puella prodeat,
Aurea purpuream
Vestemq; nectat fibula.
Nodantur in aurum nitens crines vagi,
Vt Zephyris, levibus
Sic vana ventis carbasa.
Aurata collum sepiunt monilia,
Sqvama caput rutila,
Et laxas, onyches, togas.
Nec luxui parcit pedum fastus tumens,
Dum crepidas ligulis
Ornat superbè gemmeis.
Tu nata Virgo sæculo tam prodigo,
Nec duodennis adhuc
Ab his abhorres moribus,
Constantiæ vel Innocentiæ novo
Nomine digna cani,
Major Lacænâ qvâlibet.
Prostrata pedibus Matris unicum petis,
Sollicitè reliqvæ
Qvod deprecantur Filiæ,
Orna-

Ornatus omnis ut Tuus vendi qveat,
Lugubre qvando peplum
Parente ſumptum mortuo,
Ac inde collectum peculium in ſacra
Auxilijs animæ
Tradi paternæ poſtulas.
Non cultui parcit tuo Mater pia,
Enumerat pretium
Iuri relinqvens Filiæ.
Stupenda virtus in tenella Virgine!
Omnia proſtituis
Functo Parenti ſerviens.
Hæc tanta pietas optimæ ſat uberes
Elicuit lacrymas,
Summumq; Matri gaudium.
Vel ipſe nigrâ proſpicit tumba Parens,
Tamq; animum tenerum
Suæ ſtupet Conſtantiæ.
At rumor hujus ad me dum venit rei,
Non taceo; memori
Sed cuncta pando carmine.



ODE III.

AD

IOANNEM ANTONIVM

Ł O S,

Capitaneum Pokrzywnenſem,

Palatinidam Mariæburgenſem.

O! magna magnæ Gratia Gratiæ,
Ocelle Matris, firma domeſticæ
Columna DĄBROVÆ, ac imago
Eximij rediviva ŁOSI.
Acerba nuper mors Lechico Patrem
Subduxit orbi: Flevimus, & Tuis
Matriſq; lamentis profundi
Addidimus fluvios doloris.
Cùm Tu ſuperſtes, cum docilem Parens
Ad quæq; format maxima Filium,
Spes certa, qvòd reddes Parentem,
Qvòd Proavis, Abaviſq; dignum
Ages Nepotem. Nobilitas juvat,
Naſciq; magno Sangvine; ſed tamen
Plus præſtat indoles, ſuperbos
Et ſuperat melior penates
Omnino virtus Hâc duce maximi
Crevêre Gracchi, crevit & Hercules;

Te

Tu deînde crefces, ac Achillem
Magnanimo perhibebis aufu.
Tunc læta Matris pectora non leves
Ducent triumphos, cum poterit fuum
Spectare fubfultans IOANNEM,
Vt rigidi modò figna Martis
Ille, ille ducit fortiter, ut modò
Adeft Eqveftris Nuntius ordinis,
Vt vel Palatina curuli
Ad Lechicum vehitur Senatum.
Aggratulabor tunc & ego meo
Fortaffe Vates lætior entheo,
Qvòd ifta prædixi, futura
Qvæ folidi ftatuêre cæli.

ODE IV.

AD
PETRUM
SUSTINOVIUM
Multa fine crimine patientem.

Reliqva decora utcunq; didiceris, pati- entia nonnifi per exempla inftillatur.

SPartana virtus vix aliter poteft
Qvandoq; difci; ni doceant prius

Exempla Majorum, peractæ
Cumq; alijs aliqvando scenæ.
Spartana virtus est patientia;
Hanc PETRE nemo possidet: indiget
Res arte; nam natura longè
A simili resilit decore.
Thebanus olim Miltiades suo
Ad bella ductu non ijt: excitent
Prius Themistoclis trophæa,
Tunc rigidum subit ille campum.
Posses molestam pauperiem pati,
Posses misellæ liba paropsidis;
Vt qvisqvis aut lingvâ procaci, aut
Innocuam lacerat liturâ
Mendace famam, jam stomacho ferox
Bilis movetur, jam refugis abis
Ad arma viribus, frementis
Impatiens remanesq; pugnæ.
At erigendus sæpè animus; furor
Non iste primum Te, neq; pugio
Hic me secundum cuspidato
Inseqvitur penetratq; ferro.
Fuêre plures, qvos eadem rudes
Palæstra postqvam vidit, in optimos
Formavit Athletas, virorum
Non modicos statuendo casus.
Qvousq; tantùm vivimus, in dies
Re-

Recens ferendi materies datur.
Qvicunq; non passus, putandus
E miseri nisi fæce vulgi.
Vnum levamen, si veniunt mala,
His non reniti. Fit levius jugum,
Qvod leniter fertur: paramus
Non steriles, patiendo, palmas.

ODE V.
AD
TYLMANVM
à GAMEREN
GAMERSKI,
S. R. M. & Illustriss. MARESCHALCI
Regni Architectum.

DEcet Dynástas nil aliud magis
Qvàm thaumaturgos qværere Phidias;
Pulchrumq;, non rudes Apelles
Si dominis remanent in Aulis.
Fecêre magni semper id Hectores,
Et clara summis Nomina purpuris:
Fecêre Alexandri, bonosq;
In pretio tenet Architectos
Qvicunq; dives, nec nimis indigæ

Ex ſorte plebis. Qvod LVBOMIRIO
Dignum MARESCHALCO eſt, ubiq;
Eximias locat ille moles,
Grandiq; ſumptu ſumma palatia,
Et digna tanto nonniſi Principe,
Qvæ Regiam ſolis, ſuperbas
Qvæ ſuperent Babylonis arces.
Iam verò qvot non eminet ædibus
Erecta Padvano ANTONIO Domus?
Non qvanta, ſed qvalis, ſtupendâ
Atq; fidem ſuperante pompâ.
Et hæc ſupremi laus LVBOMIRII
Qvod tanta præſtet, deq; rudi ſitu
Immenſa ponat tecta, longo
Indubiè memorandus ævo.
Tibi ARCHITECTO non tamen eripit
Hanc ille famam, præcipuè Tuâ
Qvod arte, Te qvod & Magiſtro
Tam celebres ſtatuantur ædes.

ODE VI.
AD
ADAMUM
ROSTKOWSKI,
Præpoſitum Varſavienſem,

Vladi-

Vladislaviensem, Płocensem Canonicum.

Dum Regio beneficio Prælaturam Varsaviensem obtinuisset.

VT fama, sic & grande satis decus
Summis probari Principibus, qvibus
Non qvilibet cordi, nec omnes
Irriguo recreantur amne.
Diu rogari munificus solet,
Vt manet, imber: sæpe diu genu
Necesse flectat, Gratiarum
Qvi faciles sibi poscit aras.
Plerumq; lanx est, dextera Principum,
Qvæ sæpè strictè ponderat, ut cui
Fortuna largienda, vel non:
Qvi meritis gravis est, benignæ
Hic experitur munera Gratiæ;
Exile pondus reijcitur, neq;
Agnoscit aut frontem serenam, aut
Propitios hilaresq; vultus.
Sed ista debent immeritæ nisi
Sufferre vires: respiciunt, suo
Stringuntq; pectori favores,
Dum meritam reperere mentem.

Non hæsit in Te Gratia Principis,
Dignum notavit qvando per omnia
O! docte ROSTKOVI, fovente
Qvin potiùs gremio sinuq;
Complexa magnam protinus indolem,
Et his revinxit fascibus. Aureo
Qvippe imbre dignus, qvi per omnes
Ne minimùm sterilescis annos.
Ascende felix! nec tamen ultimum
Hunc esse honoris credito limitem:
Prædico vates, qvod nitebis
Præsuleis aliqvando Vittis.

ODE VII.

AD

SEVERINVM

SZCZVKA,

Canonicum Culmensem.

FOrsan severi territa Nominis
Horrore buxus non poteris novos
Formare cantus, plectra forsan
Nil cupidæ recinetis auri.
Sed nil severi nubila Nominis
Vos oro tangant. Vidi ego, qvod nisi
Hîc candor & Rectum triumphent,
Qvod probitas teneat qvietam

Ad-

Addicta ſedem: blanda ſonantibus
Qvin Muſa chordis carmina tempera,
Buxuſq́; dulcis, barbitoſq́;
SZCZVCIACVM reſonate Nomen.
Innata qvanqvam dexteritas Viri
Eſt ſæpè magni, geſſit ut ardua
Et magna poſtqvam, malit omnem
Egregiè meruiſſe laudem,
Qvàm audire turgens. Nil reſonantibus
Externa prodeſt tibia plauſibus ;
Virtute cenſeri, ſupremus
Semper honos, meritiſq́; vera
Laus æſtimari. Nil cytharæ ſonent,
Nil molle plectrum, nil Berecynthiæ
Et tibiæ, chelyſq́; , virtus
Non vacuas canet ipſa laudes.

ODE VIII.

AD CASIMIRVM PAC, Eqvitem Melitensem, M.D.L. Supremum Notarium.

ET Malta novit nil aliud, niſi
Vel Martiales qværere ſpiritus ;

Igna-

Ignava vel ſi mens inerſq́ ,
A proprio removere portu.
Et PACIORVM non alijs potes
Sangvis morari ſedibus, aſpera
Qvàm bella qvæ tractant, ferumq́
Aſſiduè meditantur hoſtem.
Iuventa poſtqvam per Latias Tibi
Exculta Muſas, & peregrè ſimul
Luſtratus orbis, bellicoſæ
Caſtra ſtatim placuêre Maltæ.
Nec acta remo res, ſed aheneo
Vbiq́ conto ; pro levioribus
Vexilla velis, proq́ proris
Herculeæ valuêre parmæ.
Spectavit heros Inſula LILIO
Nocere ſpinas nil Mareoticas,
Spectavit, ut Ducum propago
Littavici ſobolesq́ Martis
Inter frementis littora Nerei,
Et Melitenſis regna Propontidis
Interritus ſtabas, merendo
Non tenues CASIMIRE palmas.
Vicina palmis LILIA; bellicis
Propinqva ſemper claſſica PACIIS ,
Ex LILIO & nunc PACIANO
Malta novam ſibi ſperet herbam.

ODE

ODE IX.

AD

LAURENTIUM WODZICKI,

Pocillatorem Varſavienſem.

Novum fœnoris genus DEO fœnerari: dare qvod acceperis, ut luculentiùs recipias, qvod dederis.

LArgiens promptè manus, irriganti
Qvævè decurrit ſimilis fluento,
Deficit nunqvàm, parat imò plures
Prodiga gazas.
Nam qvod offertur Superis, benigni
Illico reddunt Superi, nec unqvàm
Se ſinunt vinci, qvia plura poſſunt,
Plura rependunt.
Filij tolli pòterunt, & omnes
Sangvinis venæ, Superis profuſa
Dextra dat qvidqvid, manet, ac ſuperſtes
Durat in ævum.
Sæpè ciſternas videas fugatis
Aridas undis; videas lacunam
Sæpiùs ſiccam, qvod aqvas avaro
Detinet hauſtu.

Qvò fluunt fontes magis, & propinqvos
Irrigant campos, magis auctiore
Defluunt alto, faciuntq; plenis
Flumina ripis.
Largus in cælos, velut æqvor unum
Semper effundit recipitq; semper;
Qvæ dedit, rursùs repetit trecento
Omnia fructu.
Virgo qvam è puro venerari auro
Ponderis magni statuâ WODICCI,
Non sinet vinci, referetq; dite
Munera censu.
Pauperum mensas qvotiesq; misso
Pane sustentas, etiam pro ijsdem
Est vades Numen, vacuamq; nunqvàm
Perferet arcam.
Numini qvidquid dederis, refundet
Largiùs Numen, reserata nunqvàm
Dextra stringetur, qvia prompta promptæ
Præmia dextræ.

ODE X.

AD

DOMINICVM IGNATIVM WINKLER,

Supremum Thesauri Regni Notarium.

Nil

Nil de tempore prodigit, qvi curas Pietate temperat.

FOrtuna nobis parciùs nihil dedit,
Qvàm ſpatia pauca temporis.
Auro æſtimanda cujus hora qvælibet,
Fulvoq; Gangis gurgite.
Natura noſtra ſed nihil ſceleſtiùs
Caro profundit tempore :
Dies & anni tranſeunt, acti brevem
Intrà theatri limitem.
Nec vita qvidqvàm penſi habet, negotijs
Qvamvis trecentis obruta.
It otioſus ſæpe homo! luſtrans forum
Vrbis plateas circumit.
De craſtino totuſq; pendet, neſcius
Qvòd manè mortem proſpicit.
Ætatis eſt qvidqvid retrò, mors jam tenet
Tempuſq; tranſit aureum.
Curas bonus Pietate Vir dum temperat,
Nil prodigit de tempore.
Immenſa virtus, ſed recenti ſæculo
Aut exul, aut hoſpes niſi :
Magno tamèn Notario domeſtica
Ipſiſq; culta à faſcijs.
Procede felix, pariet ipſa laureas,
Sublime qvæ cælum parit.

Nō minuit, auget ſed adhuc hæc opes Deæ,
Nomenq; reddit inclytum.
Qvæ Principes ornat, fovet Provincias
Fortiq; cuſtodit manu, (mum,
VINKLERIANAM provehet ſimul Do-
Hoc Vate dico Spiritu.

ODE XI.

AD

ALBERTVM STANISLAVM CHROSCINSKI,

Regiæ Cameræ intimū Secretarium. Cum Lucani Pharſaliam verſu vernaculo eruditiſſimè concinnatam, luci publicæ commiſiſſet.

Literis & ſcriptis ſuis Vir doctus efficit, ut mortalitas ſua finiri poſſit, non vita.

TE Muſa mater, Te genitor dedit
Apollo Vatem, cui ità Delphicæ
Stravêre ſe laurus, ut ultrò
In virides abeant coronas.
Sic arma Cai Cæſaris, & ſimul
Cognata multo ſangvine prælia,

Sen-

Senſu repræſentas Polono,
Sarmatico reciniſq; plectro.
Vt ſi Lucanus ſurgeret, & novam
Spectare vellet Pharſaliam, Lecho
Correptus entheo Latini
Deſereret juga trita Pindi.
Mos iſte magnis ingenijs, ſuæ
Studere genti, cumq; idiomate
Poſſunt domeſtico referre,
Nolle alias adhibere lingvas.
Mos iſte ſummis ingenijs, ſtylo
Parare famam, ſeq; ſeqventibus
Monſtrare ſæculis, perennem
Perq; libros reparare vitam.
Süis premuntur cætera finibus,
Fortuna, vires, firmaq; ſanitas,
Roburq; corporis recedunt,
Et miſerâ tumulantur urnâ.
Ipſæ perennant nonniſi literæ,
Ex eruditæ famaq; profluens
Labore mentis perſeverat,
Et remanet ſatis æviterna,
Æterna ſi non. In miſeras patet
Terra ipſa mortes, per tumidas Domos,
Per regna, per gentes, cruento
Sævit atrox Libitina ferro.
Totumq; qvidqvid naſcitur, horrido
Perit

Perit tumultu. Non Parijs cinis
Tutus ſepulchris; inſtat atrum
Marmoribus tumuliſq; Fatum.
Vis ſola docti non perit ingenî
Per eruditas diffluа paginas:
Theatra nutant; literarum
Stant ſolido monumenta fulcro.

ODE XII.

AD

IOSEPHUM LUBOMIRSKI,

CURIÆ REGNI MARESCHALCU,

S. R. I. PRINCIPEM.

VElociores qvis mihi ſpiritus
Conceſſit alas? qvis furor igneas
Sublime per nubes, & altum
Qvæ ſuperis dedit ire regnis
Fortuna Vatem? Iam mihi frigidi
Tranſacta curſu culmina Caucaſi,
Iam ceſſit Hæmus, & nivoſas
Æoliæ ſuperavit arces
Decorus error. Iam mihi Tybure
Exceſſit ales penna, per Appulas

Iam vectus ocres, sisto tandem
In Lechicis vetus hospes oris;
Et Te Paternæ gemma Propontidis
Flumenq; canto. Non Helicon magis
Præ SRENIAVA, non amæni
Castalidum potuêre vati
Placere fontes. Hîc CALASANTIIS
Est ripa Musis, hîc qvoties Tui
Crystalla spectamus fluenti,
Nil aliud nisi gratiarum
Spectamus Altum. Lechia Martium
Experta flumen, nec petit Indicos
Subinde Ganges, ditiores
Qvandoqvidē SRENIAVA vester
Ostendit Hermos. Curre per aurei
Longæva felix sæcula fluminis,
Nos LVBOMIRSCIVM perenni
Obseqvio celebremus amnem.

ODE XIII.

AD

IOSEPHUM LUBOMIRSKI,

ABBATEM TINECENSEM,

S. R. I. PRINCIPEM.

TVI faventes Fluminis alveos
Et larga cantem rectiùs ostia, Im-

Immensa qvàm Nili profunda,
Aurifluiq; sinus Hidaspis.
Vt nostra tantùm pauperies Lechos
Ingressa calles, protinus alterum
Experta Gangem, SRENIAVÆ
Munificas reperitq; ripas.
Qvem Thressa sensit sub Chocimo Pharos,
Periculosis qvem reducem Lechus
Agnovit in rebus Camillum,
Larga PODOLINII fluenta
Direxit in nos. Mox similis Patri
Et Thaumaturgo non minor Hercule
GEORGIVS RESSOVIENSES
Propitius patefecit undas.
Impressa magnis tanta Nepotibus,
Insculpta magnis gratia Filijs,
Vt PODOLINII faventem &
Ressoviæ fateamur amnem.
Nam qvid Supremus Scipio Lechici
Director Orbis? qvid Lechicæ cui
Concreditur clavis saburræ?
Ni Hesperijs Tagus est arenis?
Hoç fonte manat gratia, qvæ Pias
Amore magno proseqvitur Scholas,
Hoc nostra paupertas fluento
In tenui vehitur carina.
Et Tu Patrona non deeris manu,

Præ-

Præclare tanti Pelee gurgitis,
Et Tu CALASANTINO opimus
Non deeris Benefactor Orbi.

ODE XIV.

AD
ANTONIVM ANDREAM
KRZESIMOWSKI,
ABBATEM COPRIVNICENSEM, S. O. C,
per Poloniam Commissarium, &
Vicarium Generalem,

Dum Viatorem Christianum iteratò luci publicæ commisisset.

QVis me per æqvor, per nimias jubet
Qvis ire flãmas? qvis per inhospitas
Viator ignotum cavernas
Difficili facit ire passu?
Et cum per Vrbes, per varios qvoq;
Imus receptus, ille vel integro
Ab orbe divertit, Deumq;
Et superas nisi svadet auras,
Viamq; cœlum versùs. Inutilis
Non iste trames, non KRESIMOVII
Du-

Ductoris ignavusq; tractus,
Sed Pietas, sed honesta virtus
Qvò qvemq; poscit ducere. Barbaras
Labore vano carbasa tendimus
Stulti freqventer ad Mycænas,
Et madido nimis æstuosas
Sudore Syrtes visimus, interim
Qvam sæva torvæ bella Propontidis
Instant peregrinis, stetitq;
Qvam tragico via sumpta damno.
Alter remotas Hesperiæ domos
Scrurator intrat, transit in exterum
Et sæpe curiosus orbem
Magnificas speculando Thebas.
Sed inde crescit, qvanta domestici
Iactura nervi, dum Patrium nepos
Dissolvit ac absumit aurum,
Exq; adito nihil auget orbe.
Et sancta raró respicitur Sion,
Et alta cæli regia desidi
Aditur haud menti, nec unqvam
Æthereæ revocantur oræ.
Tu KRESIMOVI ductor ad inclytam
Nunqvam dolendo tramite Patriam,
Tu ducis ad cœlum Viator
Eximiasq; Sionis arces.

ODE XV.

AD

CASIMIRUM ZELIGOWSKI,

Pincernam Braclaviensem, Notarium Thesauri S. R. M.

Dum cum Tartaris confligens, & è summo periculo evadens, votum MARIÆ de Gratijs Varsaviæ deposuit.

VIrgo, qvæ Castrorum acies freqventer
Dicitur Nobis; Tua vota prono
Accipit vultu, proprijsq; poni
Gaudet in aris.
Martij postqvam cupidus duelli
Ad rigorosæ data signa conchæ
Mente Bellonam, validum ferebas
Pectore Martem.
Thrax pharetratis violentus alis
Castra conscribens micuit severo
Illicò ferro, Pharijsq; cæpit
Prælia telis.
Prodigus vitæ ruis in furentem
Mox ZELIGOVI generosus hostem,

Cominus ſtricto ſinuaſq́; multa
Vulnera ferro.
Hinc & hinc ardent nimio calentes
Impetu dextræ, numerus ſed inde
Et cruentatis numeroſa præſtant
Agmina peltis.
Qvid tot & tantas ageres phalanges
Miles adverſùs? duo ſæpè magnum
Herculem terrent, qvid ubi freqventes
Excipis hoſtes?
Virgo qvæ Threſſam dominis coërcet
Calcibus Lunam, placuit potentem
Robur in Thracem, dubijſq́; certa
Anchora rebus.
Illa diffuſas Dolopum ſariſſas
Preſſit admoto domitrix cothurno,
Illa flagrantem medio Camilla
Iuvit in æſtu.
Illa vel fractis metuenda telis
Diffluas hoſtis tremefecit alas
Illa concuſſum penitus duellans
Reddidit Hæmum.
Tu tuam tantæ Dominæ ſalutem,
Tu tuos tantæ Dominæ triumphos
Gratus adſcribis, venerando ſacram
Virginis aram.

ODE

ODE XVI.

AD AMICUM

Iniqvis invidiæ morsibus expositum.

Pulcherrimum est, scire invidias, & posse spernere.

INvidos nunqvàm fugit ille morsus,
Qvem sua virtus tenet in palæstra:
Vt qvis est recti studiosus, acres
Invenit hostes.
Sed nimis parvum retulit profectum,
Ferre qvi effrenes rabidasq; lingvas
Nescit, & strictæ minimam pavescit
Cuspidis umbram.
Non levis magnos gradus ad triumphos
Scire mordacis fremitum furoris;
Fama sed longè melior frementes
Temnere rictus.
Fortis id signum specimenq; mentis,
Nil ad undosos trepidare fluctus,
Assilit sanè scopulum fremens, nec
Concutit unda.
Nubilis Phæbus tegitur subindè,
Non tamen purum minuit nitorem,

Firma stat lampas, sua suntq; claro
Lumina Phæbo.
Impigrum vexant culices caballum
Et vagæ muscæ, tamen ille gressum
Promptiùs prorsùs glomerat, levesq;
Despicit ictus.
Sic ad immensum stimulat decorum,
Qvidqvid adversis remoratur armis,
Magna mens tangi poterit, nec atro
Cedere nimbo.
Sæpè formosum redijt serenum,
Insolens postqvàm tonuit procella,
Lassa proût venti qvoq; mitigatur
Sæpiùs ira.

ODE XVII.
AD
CAROLVM AFFAITA
Gnesnensem, Varmiēsem Canonicū

Dignitas præmium est probitatis, non temporis.

TE Gnesna qvamvis CAROLE tardiùs
Princeps honestis cinxit adoreis,
Te Varmiæ licet sacratis
Lentus honor cumulavit aris;

Nocet probatæ nil tamen indoli,
Qvæ magna per se. Præmia tempori
Non dantur, at virtus honoris
Erigitur probitasq; palmis.
Fuêre multi, qvos properis Honor
Accessit alis, qvos trabeæ qvoq;
Summæq; Purpuræ subinde
In tenero subiere flore
Vitæ virentis. Sæpe at inutiles
Truncos videbis, sæpe sed hispidos
Spectabis, explodesq; fungos,
Qvos adeò properis stupebas
Enare remis. Nobilius decus,
Qvodcunq; tardis provehitur rotis,
Ilex diu qvercusq; crescit,
Innumeris sed habenda lustris.
Arundo se se proripit, & citò
Implet staturam, sed nec arundinis
Est tanta fama, qvanta qvercûs,
Qvæ varijs adolescit annis.

ODE XVIII.

AD

CASIMIRUM DVNIN GLVSZYNSKI,

Canonicum Vladislaviensem.

Dum post Stanislaum Kraiewski Custos Lovicienfis denuntiaretur.

DEfunctus etiam subsilit KRAIEVIUS
Datam Tibi Custodiam.
Vivusq; fidum qvem colebat Castorem,
Suo lætus fert in loco.
Et iste RADIOVII magni favor,
Post optimum, dare optimo.
Laus purpurati Principis, qvos unicus
Affectus olim strinxerat;
Hos morte ne qvidem pati ipsâ dividi,
Vnumq; nomen reddere.
Dulcescet & funus pio KRAIEVIO
Dum funeri accines Olor
Vltroq; lætus se eriget tumbâ suâ,
Tam candidam spectans avem.

ODE XIX.

AD
IOANNEM CHRYSOSTOMVM
GOŁEMBIOWSKI,
Ord. Erem. S. Augustini Sac. Theol.
Doctorem, Ecclesiastem Regium.

STupenda dicam! qvæq; Oriens prior
Non vidit unqvam: Sceptra Chrysostomi
Ama-

Amare ſuggeſtum, ac ab ore
Veridico, ſimul & diſerta
Pendere ſvadâ. Non ea Præſulis
Fortuna qvondam viſa Biſantij,
Eudoxiam poſtqvam hic, & aulam
Aſſiduum ſibi ſenſit hoſtem,
Qvin & Dynaſtæ ſæpiùs impio
Furore moti, prælia barbaro
Movêre ritu, mella qvamvis
Ac liqvidum loqveretur aurum.
Ingratus hoſpes, libera veritas
In regiarum limine ſedium;
Verumq; qvi dicit, paratas
Indubiè ſubiturus iras.
Hinc ſepta multo tecta ſatellite,
Ne tanta celſis ſiſtat in atrijs
Intretq; Virgo, ne ſuperbas
Diva loqvax agat inter arces.
Privatus ut qvis, ſuſtinet in ſuis
Illuſtre Numen ſedibus, ad thronos
Si vellet ire, Principeſq;,
Mille Deam remorantur haſtæ.
Tu qvæ futuris ſcena nepotibus
Eccleſiaſtes Regie, pro Sacris
Cûi veritas roſtris, decorum
Eximiè peragit theatrum.
Sunt qvêis malignè vel ſimulatio

Vel turpe claudit labra ſilentium,
Tu vera pandis: ſed IOANNES
Sarmaticus dubium ſtupenti
Relinqvit Orbi : lauſne ea Principis?
Qvi tanta dici ſuſtinet, an tua?
Qvi liberè ſic dicis, omnem
Eloqvio perimendo nævum.

ODE XX.

Damnatur ad curas, qui ad regimen elevatur.

RIdeo vanos hominum labores:
Fæda regnandi qvibus eſt cupido,
Cùm nihil gignit niſi turbulentas
Purpura curas.
Plurimis illud placet EMINERE,
Et gubernatrix hominum corona,
Nec ſciunt qvantis diadema ſvevit
Pungere ſpinis.
Æſtimat, qvi neſcit adhuc, poteſtas
Summa qvàm magnis agitur procellis,
Qvi probat tantùm citò nauſeatas
Ponit habenas.
Omnium eſt planè famulus, ſupremos
Se putat qviſqvis retinere faſces,
Servi-

Servitus qvædam, regimen protervi
Maxima vulgi.
Cuncta privatus sibi vult licere,
Nil gubernanti: benè stertit omnis
Subditus, longo recreans qvieta
Membra sopore.
Qvi præest, custos sit oportet Argus,
Totus insomnes peragatq; noctes,
Crimen est lasso qvoq; ferre paucum
Corpore somnum.
Optimè qvidqvid facies, malignus
Vertit in pejus tua facta livor, ;
Ipsa subjectus reputat nocivum
Mella venenum.
Heu coronatæ pereant catastæ,
Viximus nuper sine fastuosis
Fascibus læti, tetricas nec unqvam
Duximus horas.
Blanda regnandi trahat esca vanas
Rectiùs muscas, mihi firma mens est
Nolle pomposum, grave nolle duro
Pondere sceptrum.

ODE XXI.

A D

IACOBUM SZCZUKA,
Canonicum Cracovienſem,

Dum feralis Nuntius veniſſet de morte Caſimiri Szczuka optimi Antiſtitis.

Senes, Iuvenes, neminem ætas immunem facit: & cum nati ſumus, ſubijcimur huic tributo.

NVntius noſtras inopinus aures
Involat triſti cecidiſſe Fato
Præſulum gemmã, tacitaſq; SZCZVKAM
Ducere noctes.
Heu! nimis crudæ fera penſa Parcæ!
Heu nimis duros Lacheſis furores!
Tam citò rumpi ſinuoſa dignæ
Stamina vitæ.
CVLMA ſexcentos etiam per annos
Viveret tanti ſtudioſa RASTRI,
Sæva falx CVLMAM, tragicoq; RASTRũ
Percutit ictu.
Neſcio qvis non ad atrox recentis
Non fleat mærens pelagus charybdis?
Flet mihi buxus, rapiturq; multo
Tibia planctu.

Nec

Nec tibi tantæ ſtrepitus ruinæ,
Nec tuis tanti ſonitus fragoris
Non ciet fletum, renovatq́; fixis
Vulnera telis.
Sed qvid immiti miſeri dolore
Ad parentalem gemimus cupreſſum?
Vita cùm ſanctè ſatis acta, lætam
Porrigit herbam.
Tarda ſeu velox ſubijſſet hora,
Firma funeſto SZCZVKA meta Fato:
Vixit, at certum meditatus omni
Tempore finem.
Mors ſenes audax, juveneſq́; ſtricto
Inſilit ferro, paribuſq́; magnos
Parca ſeu parvos truculenta ſemper
Obruit armis.
Naſcimur qvotqvot, ſimul & tributa
Pendimus certæ miſeranda morti,
Induat vivens chalybem, ſevero
Subjacet æri.
Nemo non atri juga ſub Charontis
Tendit, ad dandum properatq́; cenſum,
Mille ad immitem miſeramq́; mille
Oſtia Lethen.
Vnicum tanti gemitus levamen,
Qvòd ſit in noſtris manibus, decorâ
Morte vel pravâ volumus peractam
Claudere ſcenam.

Funus haud novit, cui vita nullo
Mergitur cæno, cui firma mentem
Occupat virtus, teneriq; cura
Regnat honesti.

Funus haud novit CASIMIRVS, esto
Corpus obscuras abijt sub umbras,
Spiritus vivit, medijsq; se se
Ingerit astris.

Interim trinas pudeat sorores,
Sic qvòd abruptum secuêre filum,
Vivit, & vivet dirimente felix
Forcipe SZCZVKA.

ODE XXII.

PRINCEPS HYMENÆUS, MAXIMILIANI EMANVELIS COMITIS PALATINI RHENI, Vtriusq; Bavariæ Ducis, S.R.I. Archidapiferi, & Electoris. & TERESSIÆ CVNEGVNDIS SERENISSIMÆ POLONIARVM PRINCIPIS.

COrda seu isto coitura nexu,
Regna seu isto socianda vinclo;
Phæbe da plausum resonasq; tange
Pollice chordas. Fi-

Filias Regum Lechiæ maritis
Vidimus pridem caluiſſe flammis,
Nec SIGISMVNDO licuit beatam
Cernere ſcenam.
Ad VLADISLAVM revoluta Qvartum
Pompa deſponſæ fuerat Sororis,
Cum IAGELLONIS data Neoburgo
Virgo Leoni.
Tertius ſceptri Lechici IOANNES,
Prima noſtratis CASIMIRA pomi
Elocant fauſtâ propriam BAVARO
Sorte TERESSAM.
Mitra cum Sceptro veniunt in arctum
Proſperè nodum : Genitam Parentes
Fœderant vivi ; qvid habent remotæ
Lætiùs oræ ?
Sangvinum ſtirpes ab utrinq; certant,
Semper Auguſtæ coeuntq; Cunæ :
Nexus hic unus propè fœderatum
Efficit orbem.
Thracijs clarus ſpolijs BAVARVS
Hæc paludati Soboles Gradivi :
Qvid, novo Pallas niſi copulatur
Lechica Marti!
Hercules nollet redivivus Heben,
Peleus nollet Thetidem marinam,
Tanta ſi priſco thalamis Amazon
Viveret ævo.

Mars ſtatim ferret Rhodopen, Apollo
Delphicam Lesbon, Patriamq; Delon:
Ille gemmato Clypeo, iſte prompto
Cederet arcu.
Alteri verùm DEA noſtra Sponſo
Ceſſit, & cedet, Lyrico fragore
Regiæ qvidni canimus revincta
Serta puellæ?
Vandalus Rheno ſtipulatur, atq;
Maximi Europæ fluvij ſecundo
Defluunt ſecum recreantq; vaſta
Regna ſuſurro.
Certa ſpes Nobis, qvia poſt peracta
Fœderis tanti thalamiq; feſta,
Et Salus, & Pax niveo ſubibit
Oppida curru.
Tu Tuo Virgo referes Parenti
Veneris poſtqvam Boicas in arces,
Qvod Tibi largis pretioſa manant
Tempora gemmis.
Tu Tuæ Virgo referes Parenti,
PRINCIPI vives ubi juncta Sponſo,
Melle qvòd nôrunt Tibi delibuti
Currere rivi.
Interim Lechi canimus, qvòd iſto
Corda non tantùm ſed & ipſa pacto
Regna conſpirant, veniuntq; in unum
Maxima fœdus.

ODE XXIII.

Ejſdem SERENISSIMIS NEOSPONSIS,

Dithyrambus.

PRome tædas, nuptiales
Dulcis Hymen prome flammas,
Profer ignes, & nigrantes
Dulcis Hymen pelle nubes,
Prome tædas, nuptialis (mina
Pompa lætos poſcit ignes, læta poſcit lu-
Io ! tellus. io ! lætos
Blandus Hymen promit ignes.
Io ! ſvave ſibilantes
Fama lenis tollit alas,
Pellit umbras, & moleſtas
Si qva nubes fixit arces, mæſta pellit nubila.
Ibitis per purpuratæ
Verna Sponſi regna Floræ:
Vos inaurat ditiori
Delicata Chloris auro.
Vos marito flore Pæſtum, (piter
Amne Vanda, rore cælum, ſole donat Iup-
Pax ſereno vecta curru
Sors alacri prompta paſſu.

Comi-

Comitasq; coniugatum,
Faustitasq; tollit axem.
Blandiori perflat ore
Aura campos, & fragranti tempus instat or-
Astra clamant, Sponse vive: (dine
Terra clamat, Sponsa Vive:
Prata clamant Sponse Vive;
Stagna clamant Sponsa Vive;
Sponse Vive, Sponsa Vive
Astra clamant, regna clamant, longa cla-
(mant sæcula.

ODE XXIV.
AD
Non degenerem Magnœ TARNOVIORVM FAMILIÆ NEPOTEM.

PAllasnè vel Mars parietibus suos
Fixit triumphos? qvæ video sacram
Descripta per Domum trophæa?
Qvæ Patriæ simulacra gentis?
Dum Martiali Vividus impetu
In Tauricani cornua Bosphori
Ille iste desævit, Borusso
Ille graves inimicus hosti.

Moli-

Molitur iras, duraq; Barbari
In colla ferrum, vel Mareoticis
Defigit in membris mucronem
Sangvineis metuendus armis.
Qvis ille verò Ductor in arduam
Excurrit Vle? creditis? inclyto
Io SEBASTIANVS ausu
Sarmatici redivivus orbis
Camillus & Mars. qvando Aqvilæ trucem
Ferociori robore nobiles
Pugnamus in Moschi Draconem,
Et validis inimica fortes
In corda pugnis imus, & impigro,
Vt qvemq; Virtus excitat ardua,
Tentamus annisu potentes
Intrepidi penetrare muros.
Qvis ille verò? qvis novus Hercules?
Cui clava plusqvam Marmaricos gravis
Sternit Leones, & superbas
Si qva movent fera monstra cristas,
Deponit ultro, surgit & in novos
MARTINVS ausus, PETRVS & impiger
PAVLVS, STANISLAVSq; grandes
Perseqvitur NICOLAVS hostes.
Inde inde magnæ qvos toga Palladis
Accenset armis, qvos vel ad Infulas
Enixa Virtus, vel beata
Præsuleis radiare vittis
For-

Fortuna fecit. Numinis integros
Nosco IOANNES, & meritis graves,
Qvos orbis in Cruces Polonus
In Patrias retulit Curules.
Ego ista vates, ut Tibi grandibus
Præire possim solibus, & simul
Per tanta testari decora
Pulchra Tuæ monumenta mentis.
Magnisq; magnum pagina colligat
Avis Nepotem, qvem medij tenent
Hinc Plausus, hinc Honor, Paternis
Inde Domus radiosa ceris.

ODE XXV.

AD
ADALBERTVM DONHOFF,
Episcopum Premisliensem,
Supremum Regni Cancellarium.

DEcora Virtus semper in uberes
Crescit triumphos, vectus Ethesijs
Assurge, dum Tibi virentes
Dexteritas parit ipsa lauros.
Te pulchra virtus, Te melioribus
Nutrita factis vita, per unicos
Portat resultantem decores,
Qvos tumidi neq; penna Cauri, Nō

Non fluctuantis flumina Nerei,
Non Auster, ingens non Notus, arduis
Elidat alis, sed venustæ
Aurifluis comitentur annis
Vbiq; dotes. Sic Lechicus Tibi
Favit IOANNES, Sarmatiæ Tibi
Sic vota subscripsêre, firmo
Sic statuunt Tua facta jure.
Te lætus Hæmus, Te juga Caucasi,
Gadesq; noscent. Tu nisi gemmeis
Nutritus annis, ad supernam
Præsul ovans remeabis Arcton.

ODE XXVI.
AD
PETRVM
à Visitatione B. M. V.
Scholarum Piarum.

ILLi loqvacis carmine tibiæ,
Illi sonoræ pectine barbiti,
Adire Te debent, decenni
Sedulitas Tua qvos labore
Formavit olim. Me nisi pristinus
Amor, recentes suscitat in PETRI
Abire laudes; & vel illa
Norma Tuæ sat honesta vitæ.

Sex luſtra planè ſub CALASANTIO
Vixiſſe noſtro, nec minimùm pigræ
Dediſſe momentum qvieti,
Ac tenero reticere magnas
Pudore dotes, hoc tumidâ mihi
Præ buccinantis voce ſuperbiæ,
Hoc mille præ conchis, ſuaſq;
Plùs placuit reboante buccâ
Vbiq; nugas. Sic age, fulgidi
Qvouſq; vitam contulerint poli,
Silente Te loqvar, fidelis
Aſſiduò referamq; teſtis.

ODE XXVII.

AD
Dignæ olim memoriæ
ADALBERTVM STAWOWSKI,
Epiſcopum Petreenſem,
Suffraganeum Gneſnenſem.

ERgò trecentis ante laboribus
Quæſitus ultrò Præſuleas vagus
Vectabo vittas? & merentes?
Non potero redimire crines?
Ergò ſeqvacem STAVOVIVS ſuis
Depellet Haſtis? qvi fugientibus

Per

Per saxa per ferrum seqvaces
Vito rotis, celeriq; pennâ.
Et colla Tauri LESZCZYNII & Caput
Et concitatas Qvadrupedis jubas
Movi coronaturus altam
Auspicio meliore mentem.
Sed parva feci : viribus omnibus
I Gnesna I magnæ iusta fer indoli
Et dona ! nec tantam modestis
Stare facem patiare tectis.
Dixit : cöáctis cùm meritas Honor
Votis reponit STAVOVIO Infulas,
Mentemq; sat diu rebellem
Præsuleis cumulat Tyaris.

ODE XXVIII.

AD STANISLAVM BOGLEWSKI, ABBATEM PŁOCENSEM, Gnesnensem, Vladislaviensem, CANONICUM.

Dùm peractis apud Scholas Pias Spiritualibus exercitijs, ad primam hostiam DEO offerendam se disponeret.

Nè

NE tantùm Patrijs Scævola pro focis
Ducat magnanimo prælia pectore,
Sacris consecrat aris
Ingentem qvoq; spiritum.
Non inter Rhodopen, non Acherontica
Intrà Tænarij tecta Palatij
Securè latitabis
Atris styx fera vultibus.
Hastis missilibus provolat ultimos
Longi STAVOVIVS Ditis ad ordines,
Calcatamq; Sacerdos
Magnus Tysiphonem premit.
Cui nec Marmarico Cerberus impetu
Clausis terribilis nec Domus ostijs
Nec nigri furor Orci
Magnam destinet indolem.
Implebitq; novis Victor adoreis
Romanas acies, qvæ vel in igneæ
Surgunt castra Megæræ
Regis signa vel inferi.

ODE XXIX.

AD

EVNDEM.

Dùm lustratâ Italiâ & peragratâ studiorum causâ Vrbe, in Patriam rediret.

Pallas

PAllas? an noſter Patrijs decorus
PRÆSVL in Ceris, manibus Hariſſas
Miſſiles torqvet, validiſq; ternam
Viribus haſtam?
Pallas! an PRÆSVL! colubris minacem
Gorgonem torvis domat, & ſuperbas
Deprimit criſtas, neq; fulminantes
Suſtinet iras.
Qvâ ſuis tantùm metuenda ſignis
Ruſticas ducit Ruditas Phalanges,
Victa flet mærens, & iners feroces
Damnat arenas.
Interim doctæ ſtudioſa mentis
Fama per latum vaga currit orbem,
Dicit & pugnas, domitoſq; dicit
Præſulis hoſtes.
Præſuli laurus virideſq; ſerpent
Per comas frondes, & adhuc corollæ
Ambient crines, venientq; plenis
Pæſta roſetis.

ODE XXX.



AD

MARIAM de GRATIIS,

In Varſauienſi Scholarum Piarum Baſilica fauoribus illuſtrem.

Thre-

THreissa sic qvondam Harpalice fuit
Collecta nodo Virgineos sinus
Castè fluentes, & pudico
Tecta genu, atq; oculos nitentes
Suffusa, spumans sub pedibus cui
Serpens, vel agris de Lybicis aper,
Suspensa cûi simul pharetra
Leve simul jaculum, teresq;
Gestatus arcus; ni Harpalicen adhuc
Supra videri Threijciam velis
O Gratiarum Virgo! formâ
Mænalias superans Dianas.
O Virgo qvalem te memorem! Tibi
Mortalis haud vultus: Dea Cælitum
Vel prima Nympharum repressi
Exuvijs celebris draconis.
Armata telis non capreas, aut
Damas fugaces inseqveris, nigrum at
Pythona, qvi monstrum universo
Et nimius fuit horror Orbi.
Sis Sancta miles Numinis, & Tuam
Agnoscat omnis Lechia gratiam,
Pestemq; fatalemq; morbum, his,
Qvas retines, prohibe sagittis!

ODE

ODE XXXI.

De minima Schol. Piar. Religione.

VTcunq; torvam mobilis induit
Fortuna larvam, decoqvitur ſuis
Fortuna technis, & doloſo
Qvas poſuit malefida vultu
Inanis artes; occidit ad ſuas
Inanis artes, nec timet aſperas
Fati procellas, ipſa virtus
Qvem placidis ſinuavit alis.
A tetriori non ſemel acriùs
Emiſſa Averno per CALASANTIAM
Graſſata tempeſtas carinam,
Et tonuit temulenta multo
Procella flatu, ſed ſeqvitur nigra
Vt incaleſcens nubila Phoſphorus,
Soleſq;, lætiorq; Phæbus
Sæpè trucem comitatur Auſtrum;
Sic nos procellis è medijs redux
Phæbus ſerenis ſtipat Etheſijs;
Pulſâq; tempeſtate lætam
Pulchra vehit Cynoſura frontem.
Eheu in ipſis fata periculis
Favêre nobis invida, funera
Per ipſa crevimus, tenellæ

Nec nocuit fragor ille plantæ :
Septemq; Romæ collibus altiùs
Defulminatum protulimus caput,
Et mille vexatus colubris
In validos adolevit armos
Iste Iste partus. Teutonicas neq;
Tantùm per Alpes fiximus arduæ
Trophæa famæ, qvò feraces
Sardus opum trahit usq; campos;
Qvò bellicosas provehit impiger
Hetruscus arces, ivimus, ivimus,
Nulliq; pulchriora nostræ
Non dedimus monumenta famæ.
Nec Scylla tantis æmula passibus
Nos à Sicano detuderat sinu,
Scyllamq; naufragasq; Syrtes
Egredimur, Siculosq; nostram
Ad usq; portus figimvs anchoram.
Iam magna Rhenus nomina Patrijs
Æternat undis, & refusis
Ire negans vaga lustra rivis,
Vbiq; nostris fertur adoreis.
Iam Varna plenis defluus alveis
Hærere nescius per ipsum
Eluviem meditatur orbem.
Qvis & Polonis exul in areis
Non indecoræ stemmata gloriæ

Ignoret? & noſter reclini
Sarmaticas veneratur amne
Subinde palmas Viſtula, ſedimus
Plebeîa non turba, aut vaga, ſedimus
Non vulgus ignavum, ſed amplas
Sparſa cohors Lechiæ per oras.
Adhucq; plures ibimus, ibimus
In Regna & urbes, ibimus ultimas
Poſt uſq; Gades, qvò remota
Cimmerios vehit Vrſa currus:
Qvò Nilus ingens, qvò Mareoticus
Aſſurgit Orbis, qvò mare barbarum
Baltiſq; Cimberq́;, & trecentos
Longa vehit Genoeſſa fines,
Nos canus Atlas, nos ſciet ignei
Arctoa ſolis Regia, maxima
Devexa nos noſcent, & ipſos
Fata dabunt ſuperare cælos.

ODE XXXII.

AD

MARCUM MATCZYNSKI,

Palatinum & Generalem Terrarum Ruſſiæ.

Dum munificentiſſimus Fundator Vareſij ſumptuoſiſſimo opere Ba-

silicam, & Collegium Scholis Pijs erigeret.

OLim potentes ad sonitum lyræ
Stetêre muri, nunc iterum novus
Si surgit Amphion, ab ipsis
Vivificat sua plectra muris.
Postqvàm levatam de Pario licet
Spectare molem marmore, Virgini
Altumq; sustolli colossum,
VARESIIS pia dona templis.
Tunc prompta per se fertur in alites
Testudo passus, tunc cytharam placet
Pulsare, Lesboâq; magnum
MATCZYNIVM celebrare buxo.
Humana celsas sæpe superbia
Educit arces, sæpè palatia
Grandesq; structuras profuso
Ædificat penus ampla sumptu.
Sed qvas superstes vel tumulet Nepos
Inerte stertens segnis in otio,
Vel ipsa temporum vetustas
Icariam trahat in ruinam.
Qvæ templa Divis erigimus, boni
Nutare nunqvam templa sinunt Dij;
Stant tecta, stant turres, & alta

Stant

Stant ſolido tabulata nexu.
Qvid dùm Latinas ponè ſtatim Scholas
E liberali conſtituis ſinu,
Qvid dùm Iuventuti docendæ
Non ſteriles adhibes Magiſtros?
O qvanta MARCI gloria, vel ſine
Conſorte, pulchro nomine fertilis
Gaudere Patris, totq; planè
Qvantus honor numerare Natos,
Qvot ſunt Alumni. Nil magis adjuvat
Ad plena veri ſtemmata nominis,
Qvàm per Scholaſticam Iuventam
Magnificam cumulare famam.
Hîc ſunt Athenæ, de qvibus inclytos
Sperare qvondam Magne potes viros
Fundator: hîc eſt Sparta qvædam
Egregiæ reſerata pùbi.
Iſthinc Achilles, ac Agamemnones,
Iſthinc Camilli cum Fabijs, graves
Iſthinc reaſſurgent Catones,
Hinc veteres venient Metelli.
Vt qvis Scholarum pulverem Olympicum
Egreſſus olim per ſtadium novæ
Virtutis ibit, ſeq; forti
Aſſocians comitem Gradivo
Accinget enſem, regna per hoſticæ
Graſſando Trojæ; caſtraq; ſedulæ

Vt qvis ſupergreſſus Minervæ,
Se Patriæ poterit probatum
Monſtrare Conſum : dicet, ad omnia
Non uſitatæ culmina gloriæ,
Ad ſumma qvævis ac honores,
MATCZYNIAM ſoleam paratum
Fuiſſe calcar ; dicet, & ultimo
Narrabit orbi, ſe Accipitris Tui
Pennis alacribus vibratum
In medios volitâſſe cælos.
Dicet ſecundus, qvàm placidis Tibi
Regale SCVTVM fertur Etheſijs :
Miranda qvam virtus in aulis
Ad niveos tenet uſq; canos.
MATCZYNIANO dicet ut Aliti
Addicta claræ limina Regiæ,
Cum corde qvi Regis videris
Perpetuum pepigiſſe fædus.
Hæc qviſq; dicet, dicam ego, maximis
Pernix ut Ales functus honoribus,
Clavim, Palatinas Curules
Vt paribus vibrat ille pennis.
Sed qvò canori me trahit entheus
Fervorq; plectri : jam video trabes,
Iam cardines poni, ſtupendi
Iam video juga ſumma templi.
VAREZIANAS jam video Scholas

In non profanam crescere machinam,
Fervere classes, congregatas
Iam video juvenum catervas.
Hi plura dicent, fiet adultior
Cûivis ut ætas, nec ruditas semel
Excussa permittet taceri
MATCZYNIÆ monumenta dextræ.

ODE XXXIII.

AD
ANDREAM ZYDOWSKI,
Vexilliferum Cracoviensem.

QVidqvid ANDREA loqveris, rosarum
Plena prorumpunt subitò canistra,
Mel inest verbis, & ab ore purum
Defluit aurum.
Fabulis addam Iovis è cerebro
Palladem natam, Tua Musa proles,
Ex Tuo passim generosa prodit
Vertice Pallas.
Seu Themis sacras Tibi credit aras,
Seu Palatini vocat aula Craci,
Tu Craco Consus, Themidiq; promptis
Signifer alis.

Lechicu qvidqvid meditatur Orbis,
A Tuo totus prope pendet ore :
Penduli Lechi, Lechiæq; Eqvester
Pendulus ordo.

Tu coronatus qvoties ad aures
Fers paludato Tua verba Regi,
Scuta suspendit, positisq; svadam
Suspicit armis.

Tu Lechis alter Cyneás, disertam
Eloqvens promis qvoties Minervam :
In Tuum Cives, validasq; verbum
Elicis urbes.

CALASANTINÆ qvia verò genti
Prodigo manat Tua dextra fonte,
Heu qvid ad tanti referemus omnes
Ostia Nili.

Me vadem pono, qvia qvisq; nostrûm
Ad Tuas promet celeusma ripas,
Pauperes dum sic refoves benigno
Littore Musas.

ODE XXXIV.

A D
ANDREAM CHELMSKI,
Vexilliferum Sandomiriensem.

PVllusnè Martis vis Lechici cani,
Vel bellicosi Theseus Herculis, Nil

Nil plectra qværunt, ſat virile
Si poterunt reſonare Nomen.
Virile qvanqvàm nomen ad integros
Nil dat triumphos, bella gerat manus,
Pectuſq; pro muro retundat
Armigeras Cilicum phalanges.
Tunc dextra talis, tunc validum probat
Heròá pectus, tunc mihi belliger
Alterq; Mavors, qvem peracta
Cum clypeo manifeſtat ætas.
Non Lydus Hermus ; non tepidæ Tibi
Placere Baiæ debuerant, cui
Arriſit Hæmus, proq; fulvo
Cultus erat SRENIAVA Gange.
Hinc vorticoſis qvò LVBOMIRSCIVM
Se miſit undis Flumen, eò Tuus
Erupit enſis, ſeq; forti
Inſeruit Rubiconis amni.
Senſit repugnans arma Boryſthenes,
Et ſenſit Iſter, Threycij canes
Latrare qvod poſſent, nec unqvam
CHEŁMSCIADI nocuiſſe Lunæ.
Brevi Ducalis grandior Hercules
Sub ſigna clavæ detuleras Tuæ
Portenta virtutis, Duciſq;
Magnanimis ſoleis inhærens,
Per Bactra, vaſti per freta Boſphori

Per ipſa crudæ pectora Thraciæ,
Per regna, per campos, ruentem
Non dederas titubare ſicam.
Vienna vidit, vidit & undevis
Collectus hoſtis, qvomodo plurimæ
Hinc indè confluxêre turmæ,
Et ſoleam, rigidamq́ Luna
Stipante Falcem Barbaricus dein
Expavit ardor, ſignaq́ ſub pedes
Ivere veſtros, CHEŁMSCIVMq́
Suppoſitis coluêre peltis.
Rigente verùm ſub galea cui
Non canet ætas, qvivè ſatis putat
Bis tervè qvòd vicit; potentem
Non ego eum reputabo Martem.
Vacare virtus vera neqvit, ſemel
Pugnâſsè non ſat, continuos amat
Arena bellatrix Camillos,
Herculeoſq́ petit labores.
Robuſtus acri militiâ puer
Vt arma ſumpſit, pugnet, ad ultimos
Qvòúſq́ non pertinget annos,
Nec reſidi minimam qvieti
Concedat horam. Qvondam habuit ſuos
Sic Sparta Cives, ſic habitus Lacon:
Iuventa ut aſſumpſit, ſevera
Non poſuit galeam ſenectâ.

Nec

Nec Tu ſupino viſus in otio
Germane Martis, qvi rutilum ſemel
Accinctus enſem, perſeveras
In Lechico veteranus Hæmo.

ODE XXXV.

AD
IOANNEM SZYMANOWSKI,
Tribunum Varſavienſem.

VNus de Eqveſtri Tullius Ordine,
Orator Orbis Sarmatici, meam
Auſcultat ad Lyram, benignâ
Et cytharam ſimul audit aure.
Nolo loqvacem tangere barbiton,
Ni SZYMANOVI commemorem Tuas
Excelſe laudes, Teqꝫ magnis
Annumerem Lechiæ coloſſis.
Vt dextra pugnat pro Patria, gravi
Inſtructa ferro, ſic etiam bono
Et lingva communi parata
Penè aciem ſtatuit, novaſqꝫ
Molitur arces. Iurgia Civium
Praviqꝫ mores, non ab aheneo
Tollenda ſunt ſemper mucrone;
Iudicium meliùs ſubindè

Votumq; prudens prospicit arduis
Lapsisq; rebus. Lechia publicos
Proindè conventus in unum
Sæpè locum vocat, & medendis
Cives requirit Lechiadûm malis.
Prout cuiq; recti dictat amor, boni
Inserviunt Cives, & unam
Prospiciunt Patriæ salutem.
Neganda nulli palma, sed unicè
Qvam tu trecentis plenus adoreis,
Qvas ultro Princeps, qvas Senatus
Magnanimæ sacrat ultrò menti.
Tibi trisulcis lingva tonitruis
Instar Periclis fulminat, & necem
Non ense, non armata ferro,
Sed resono minitatur ore.
Tibi ruentis grandinis in modum
Immensa fandi copia, strenuè,
Qvæ recta sentit, dicit, omnem
Eloqvio resecatq; nævum.
Sententiarum pondus, & aureæ
Dulcedo svadæ, sanctiùs ut loqvi
Divina non posset Minerva,
Nec gravidus tonuisse Nestor.
Implebis orbem voce ; & ad ultimas
Vocalis Echo perveniet plagas,
Vultûsq; majestas & oris
Cecropiã premet usq; famã.

ODE

ODE XXXVI.

AD IOANNEM WOLCZYNSKI, Dapiferum Mielnicensem, S. R. M. Thesauri Notarium.

NOn qvòd minister Principis aureum
Disponis imbrem, non qvòd & optimi
A corde Regnantis, fideli
Obseqvio referas herilis
Addicta felix atria pectoris;
Sed innocenti qvòd pietas Tuum
Addicta candori, perenni
Obsideat statione pectus:
Hoc Musa cantat. Rariùs hæc videt
Exempla tellus, ut qvibus aulica
Alludit aura, se modestis
Insinuent pietatis aris.
Noverca qvædam, vel Libycas suprà
Acerba Phædras Aula, tenellulæ
Castæq; virtutis, tyranno
Exagitat truculenta corde,
Qvoscunq; spectat de famulis probos.
Vt qvis malignæ non timet asperam
Nutricis iram, mille major

Hip-

Hippolytis, vacuumq; non fert
In orbe nomen. Sic Tibi Curia,
Regalis oſtrum ſic placet atrij,
Vt irremiſsâ puriores
Mente colas Pietatis arces.

ODE XXXVII.

AD

ANTONINVM STEPHANVM

MDZEWSKI,

Ex Ordine Prædicatorum aſſumptum
Epiſcopum Calamatenſem,
Suffraganeum, & Cuſtodem Luceorienſem,
Ac Deputatũ Iudicem ad Tribunal Regni.

NVnqvam relucet pulchriùs Infula,
In eruditum qvàm data verticem.
Ornatur, haud ornat, magiſtram
Qvando tenet redimitq; mentem.
Tiara libro pronuba, pronubi
Libri tiaræ, nobiliùs pedum
Qvod docta tractat dextra, prudens
Qvodq; rei moderatur uſus.
Hinc illa ſedes Præſulibus data,
Cathedra recto dicitur ordine,
Qvòd Doctor & non vile vulgus
Præſuleis adhibendus aris.

O qvanta vastæ Tu Luceoriæ
Ex erudito pectore gloria,
Natale cùm præter cacumen,
Ingenio studijsq; doctam
Infers Stagiram. Subvenit Angelus
Et ille THOMAS, qvo Angelico Tua
Doctore floruêre rostra,
Ac varijs patuêre regnis.
Hucusq; sanctam credimus Infulam,
Qvousq; doctum possideat caput;
Assumat ignavos, dolendum!
Ipsa suo perit in nitore.

ODE XXXVIII.
AD
DAMASCENVM LVBIENIECKI,
Ordinis Prædicatorum, Sac. Th. Doctorem.

Alia nobiscum labuntur & pereunt: virtus, eruditio, & ex eis fama perennant.

EST qvi fluente dives auri gurgite,
Migdonijs opibus,
Multâq; turget purpura.

Sunt

Sunt & ſuperba ditiorum limina,
Aſſaracíq; Lares
Fulgore largo ſplendidi.
Alter coloſſos, vel theatra ſuſcitat,
Hoſteq; de domito
Parat trophæorum ſtrues.
Ex Purpura, Parijs hic ex & ædibus,
Ex ſpolijs alius,
Reddi perennis poſtulat.
Hos apparatus mors nigro pulſat pede,
Luſtraq; poſt aliqvot
Omnis perit perennitas.
Devota Virtus, literis partum decus,
Qvos tenero gremio
Fouente vel tenent ſinu.
Hi per ſtupendos gloriæ campos volant,
Inq; animis memorum
Semper perennant cordium.
Innata pietas, limpidi vena ingenî
Angelicoq; ſatis
Mens militans diu THOMÆ
Te magne Doctor maximis jungunt Viris,
Heſperiæq; ſcholæ
Et Galliarum pulpita.
Tum laureæ Doctoris æſtimabilem
Principibus faciunt,
Et Prædicatorum Ordini.
Immen-

Immensa nutant saxa, fortunæ ruunt ;
Gloria parta libris
Cunctis diurnat sæculis.
Scientq; posteri suo olim tempore,
Qvanta LVBIENIECIIS
It fama cum scientijs.

ODE XXXIX.

AD
ANNAM WODZICKA,
Pocillatricem Varsaviensem.

ET Tu mariti conscia fæderis,
WODZICIANÆ nupta Propontidi
Dicenda per me, Gratiarum
Deq; tribus numeranda Divis.
O grata grati filia Nerei,
O ter beati Sponsa WODICII,
Qvocunq; dimanat maritus,
Tu simili pietate largo
Affundis amni. Nec Tibi vestium
Est tanta, qvanta est cura, famelicus
Ne pauper incedat, sacræq;
Ne nitido spolientur aræ
Qvandoq; cultu. Sunt, inopi qvibus
Detracta templo pensio, turgidos
Vestit

Vestit lacertos, sunt tyrannæ
In proprios Cyprides maritos;
Qvæ sæpè villas, sæpe boum greges,
In delicati tegmina corporis,
Pompamq; , lascivumq; cultum
Extenuant, vacuasq; reddunt
Consortis arcas. Tu melior Tui,
Nec vana narro, Penelope Viri,
Distingvis auro, divitesq;
Pingis acu tunicas egenis
In dona templis. Sic age, proflui
In sacra & aras æmula Conjugis;
Qvòd Numini datur, trecento,
Crede mihi, redit omne fructu.

ODE XL.

AD

AUGUSTINUM

à S. Ioanne Baptista,

Suum olim in humanioribus literis Professorem.

INgrata buxi tibia; barbiti
Inersq; nervus, si reticet Tuum
Subinde Nomen, qvo vocante
Castalios aditabat amnes.

Nun-

Nunqvàm Chironi denegat inclytam
Ingens Achillis laurea gloriam,
Doctore qvòd tanto Leonum
Marmaricis alitus medullis.
Victor Darij vel medios qvoq;
Inter triumphos ſat meminit, cui
Olim magiſtro, ſe ſuaſq;
Debuerit ſtudioſus artes.
Et me Latinis jungere Vatibus
Qvòd Muſa tendat, Rhetoricis loqvì
Poſſim qvod è roſtris, modeſtam
Eloqvio, calamoq; coner
Tentare famam; ſedulitas Tua
In me docendo fecit, & impiger
Ille ille fervor, qvò priores
Reddideras properare niſus.
Silebit & nunc, qvi minimè Tui
Memor laboris: me vel ad ultimos
Sepone limites, Magiſtri
Non ſteriles recitabo curas.

ODE XLI.

AD

IOANNEM GAVDENTIVM
ZACHERLA,
Conſulem Cracovienſem.

Eſt

EST & potentûm ſplendor hic urbium,
Eſt Civitatum maxima divitum
Fortuna, ſi qvandoq; doctos
Poſſideant numerentq; Cives.
Nam qvid potenti cingimus oppida
Auguſta muro, qvid ſolidas qvoq;
Tuemur arces, & repertis
Effugijs, ſtabiliq; cinctos
Subinde vallo ponimus aggeres :
Abrupta tanqvam valla, vel aſpera
Munimen addant ſaxa, celſæ
Præſidium faciantq; turres ;
Et non valentes conſilio viri,
Doctiq; Cives. Nil laterum juvat
Compago, nil cautes, fragroſæ
Nil faciunt ſine Cive rupes.
Fuere Thebæ, Bactraq; grandibus
Turrita ſaxis, qvin Babylon fuit
Tyruſq;, muris illa, vaſto
Iſta freto ſatis inter omnes
Secura gentes. Sed Babylon niſi,
Sed Bactra firmis fortia mænibus,
Thebæq; tamdiu ſtetere,
Qvamdiu eas potuere docti
Formare Cives. Occupat inclytas
Diſordo Thebas, Perſiacis furor
Bacchatur in Bactris, & ecce
Cum

Cum fluvijs ſcopuliſq; magnæ
Volvuntur urbes. Conſilium qvia
Ab eruditis qvod potuit dari
Subinde Civibus, rejectum,
Indomiti nimioq; ſpretum
Fragore vulgi. Mænia Civibus
Stant ſæpe doctis, Roma Catonibus
Et Tullijs, qvibus ſepultis
In ſubitam properat ruinam.
Hinc qvanta Craco turris, & uberi
Arx es Vavello, Metropoli decus
Qvantumq; Tu ZACHERLA noſtræ,
Cujus ab ingenio, proboq; ,
Manent beatæ conſilio Domus :
Sub lege cujus pacificas timet
Togâq; non unus ſecures
Et placidos Catilina faſces.

ODE XLII.
AD
ANNAM TYRAWSKA,
Abbatiſſam Ordinis S. Franciſci Cracoviæ ad S. Andream.

VIrago ſancta, cuiq; par Amazoni,
Filia grata DEO,
Et grata Mater cætui.

Qvo

Qvo Te Dearum, nescio, ponam loc ?
An Charites mediam
Puras vel inter Gratias.
E fulgidis non prædico penatibus,
Non ab imaginibus,
Magniq; nexu sangvinis.
Devota Christo famvla despicis Natalium
Omne decus, patriam
Nihil pensans originem.
Nec Virginalem publico modestiam,
Judicium sapiens,
Industriam prudentiam.
Pandora Tu præsentis es vel sæculi,
Vel Themidis soboles,
Vel vera Palladis soror.
In pristinis qvæ qværerem Divis bona,
Omnia Tu superas,
Et prisca vincis Numina.
E singulis qvas non recenses dotibus,
Te venerabor ego
Magnam Dearum Principem.
Fortuna posita, sangvinis spretum decus,
Te potiùs celebrant
DEO sacram Viraginem.
Vestalis ipsa Virgo Clara differat,
Virgineusq; chorus
De Matre Te qvid sentiant.

ODE XLIII.

AD

IOANNEM SLIWICKI, Thesauri Regni Notarium.

Vacillat fortuna, nisi innitatur virtuti.

FElicitas vacillat ingens, & gravi
Omne ruit strepitu,
Virtute qvod non nititur.
Vidi locuplete divites peculio,
Innumeris opibus,
Auriq; plenos pondere,
Vidi, superbis qvi nisi palatijs,
Magnificis domibus
Omnem dabant potentiam.
Subsellijs alter, supremis fascibus,
Purpureisq; togis
Niti decorus qvæsijt.
Et nulla virtus in tumente spiritu,
Nec probitatis amor
Rudi splendens in indole.
Felicitas his cuncta, debilis basis,
Exiguum columen
Summæ potestas gloriæ.

Ni

Ni fulciat virtus, ruunt qvævis bona,
Interituſq; manet
Excelſa fortunæ juga.
Sic Tu fovente Fortunam tractas manu,
Vt gremium pietas
Virtuſq; pectus occupet.
Fac ſic, & ibit proſpera in fædus Dea,
Ex probitate novum
Dum ſpectat & probat decus.

ODE XLIV.

AD
IOANNEM WINKLER,
Theſauri Regni Notarium.

VT Tui nunqvàm meminiſſe Fratris
Eſt ſcelus ſummum mihi, ſic amica
Invicem nolunt reticere carum
Plectra IOANNEM.
Summa germanum probitas, & ingens
Pectoris candor probat è beatis
Civium Regnis, animuſq; puri
Plenu honeſti.
Degener nec Tu, ſimiliſq; planè
Caſtori Pollux, properàs iiſdem
Paſſibus Recti bene conſtitutam
Ducere vitam.

Vive

Vive ſic Pollux, velut ille Caſtor,
Et palam fiet, qvia non opaca
Vos teget nubes, Patrij gemella
Sydera cæli.

ODE XLV.

AD

IOANNEM FRANCISCVM
à S. Petro, Scholarum Piarũ,
Præpoſitum Generalem.

BEata, qvæ Te Præpoſitum canet
Teſtudo Patrem, nec minus & mea
Beata buxus, Mutinenſis
Nomen ubi cecinit IOANNIS:
Sed Vaticanæ nobilior chorus
Plauſusq́; lingvæ, qvæ licet unico
Applaudit in verbo, univerſas
Exuperat pene ſola laudes.
Diviniori proxima Numini
Orbis Poteſtas, dum reſerat ſuas
Panegyri claves, dat ampla
Mille panegyribus theatra.
Eſt tanta ſummi Clavigeri chelys,
Vt una vel vox chordaq́; buccinas

Obtundat omnes, ſupprimatq;
Multiloqvæ ſtrepitum Camænæ.
Hujus foveris munifica ſatis
FRANCISCE dextrâ, ripaq; plurimis
Fundata ſcutis, luculenti
Sufficiens opus eſt favoris.
De Purpuratis qvid referam togis ?
Vt Cardinalis ſæpe tuas Tyrus
Excurrit in laudes, Tuarum
Vtq; freqvens pluit imbre laudum.
Sub Te ſupremo Præſide priſtinas
In nos reſumit Virgo puerpera
MARIA curas : Vaticanum
Et ſtudio meliore Mater
Inflectit orbem, qvatenus in ſuas
Conſpiret omnis Clerus adoreas,
Et Roma qvatenus profundo
Subijciat ſua vota cultu.
Sub Te ſupremo Patre, ſcholaſticus
Politur Orbis, famaq; latius
Excurrit, & Nomen Piarum
Qvotidie amplius eſt Scholarum.
Sed iſta vates exiguis ego
Attingo nervis, grandius omnium
Loqvetur, & canet Thalia,
Eximij ſtudioſa Patris.

ODE

ODE XLVI.

AD

ALEXIVM

à Conceptione B. V. M. Scholarum Piarum,

Exgeneralem, & Generalis Aſſiſtentem.

PRimas ALEXIN non ſine publico
Plauſu curules in CALASANTIO
Geſſiſſe cælo, vel ſupremum
Conſilijs animare clavum
Per qvina pluſqvam luſtra penultimus
Si neſcit orbis, diſcat, inhoſpitis
Canatq; terris, in futuros
Sollicite referatq; faſtos.
Ego loqvacis carmine tibiæ
Cantabo vates, qvomodo Pauperum
Te cætui junxit, ſuâq;
Noſter adhuc Patriarcha ſacræ
Inauguravit militiæ manu.
Heroa virtus egregias amat
Tenere mentes: qviſq; fortis,
Fortem adhibet pariter phalangem:
Placet potenti Theſeus Herculi:
Non otioſas exigit indoles,

QVOS Filius magni Philippi
In proprijs videt esse castris.
Et Tu Iosepho non popularibus
Egente turmis, miles ad omnia
Paratus, invictum tulisti
Auspicio meliore pectus.
Infixa Patris traxit ad inclytas
Imago palmas, per sapientiam
Multamq; virtutem Piarum
Grande decus statuens Scholarum.
Inclinat ætas, firma sed indoles,
Rerumq; praxis fertur in obvios
Semper triumphos, vividumq;
In senio reserat theatrum.

ODE XLVII.
AD
ATHANASIVM
à S. Bartholomæo.

Ex Provinciali Sardiniæ, Generalis Assistentem.

QVis eruditi Musam ATHANASII,
Illamq; divini ingenij penum
Describat? & qvæ plectra doctæ
Sufficiant aliqvando menti?

Vici-

Vicina cælo fama Lygusticum
Excessit æqvor, nec satis Insulam
Sardosq; pertransîsse saltus;
Ad Latiam volat usq; Romam.
Ibiq; pulchrum Nomen ad Ausones
Extendit oras, ac ATHANASIVM
Per septicollis culmen Vrbis
Grandiloqvo vehit ultrò passu.
Qvæsita doctis gloria literis
Vno teneri non patitur sinu,
Per Regna, per montes remotos,
Per varias volat ipsa gentes.
Mortale ferri qvo fragili neqvit
Compage corpus, fertur opinio
Immensa, doctrinaq; fama
Se patulo manifestat orbi.
Sic nos Poloni, qvos juga Carpathi,
Qvos non profano Vistula flumine
Secernit à Sardis, trecentis
Aqve Tybri jubet esse leucis,
Te vel remotum noscimus, & Tui
Implemur omnes pondere nominis;
Nam fama Te longo viarum
Proseqvitur, celebratq; ductu.
Et nî propinqvum respiceret mea
Iam Musa finem, non sinerem Tuas

Impune ſic abire laudes;
Nunc tenui niſi tango nervo.

ODE XLVIII.
AD
BENEDICTVM
à S. Bartholomæo,
Generalis Aſſiſtentem & Secretarium.

ARcana pulchri gloria Nominis
Semper theatrum poſtulat; & Tui
Exacta nominis ſtatera
Non vacuum BENEDICTE pondus.
Nam ſæpè fædè nomen inutili
Tumeſcit æſtro, ſi niſi ſyllabæ
Illuſtre qvid ſonant, & ipſa
Facta graves patiuntur umbras.
Et Magni Alexandri arguitur ſatis
Subinde virtus, nî Babylon ſimul
Et Bactra ſuccumbant, Tyruſq;
Nî dominas cadat ante plantas.
Nunqvam erubeſcit Nurſia pro ſuo
Olim inqvilino, nec CALASANTII
Tu non adornator theatri
Eximijs BENEDICTE factis.

Inſi-

Inſigne noſtro Tu columen Patri,
Ingens levamen Tu Generalibus
Es ſemper urnis, grande ſummis
Conſiliumq́; , decuſq́; votis.
Secreta qvodſi reſpicitur fides,
Tenaxq́; juſti penna ſilentij ;
Nil pulchrius, qvam exinde ſummam
Magno animo generare palmam.
Cantare vellem plura Heliconio
Decora plectro, laſſa bivertice
Sed Muſa Parnaſſo, reponit
Aonias aliqvando chordas.
Monebo Vates, ut reliqvi meo
Pro more cantent, nec faciant pigras
Tranſire noctes, oſcitantem
Sed ſtudijs reprimant ſoporem.

ODE XLIX.

AD

ANGELVM à Concept,
Ex Provinciali Hetruriæ.
Generalis Aſſiſtentem.

HIc vero ſupplex Te ſtudioſius
Submitte noſtro barbitos ANGELO :
Clangore nec debes inerti
Angelicas reſonare laudes.

Vt qvisqvis olim de Angelico stetit
Apud misellos nos homines choro,
Iam templa, jam prompto dicatas
Obseqvio sibi vidit aras.
Vnus Ioannes, qvi ex humili suum
Ornare cultu dum parat Angelum,
Monetur, ut non ponat ullum
Angelicæ thymiama sorti.
Sed qvis Ioannes? & qvis ego? pares
Natura non fert. Illum Aqvilæ vehunt;
Testudo me portat, Tuisq;
Lenta licet, jubet ire sacris.
Hetrusca tellus Te meminit suum,
Romana nunc lux suspicit Angelum,
Vel inde, qvod præsente qvodam
Intuitu, velut ille primi
Rotator orbis, nunc Asiæ rubras
Metiris oras, nunc premis Africos
Narrator orbes, nunc superbas
Visis adhuc Babylonis arces.
Et Bactra debent historicam Tibi
Sepulta vitam, qvòd Tyrus, & Samos,
Qvod Susa, qvòd Thebæ perito
Vsq; adeo referuntur ore,
Hoc omne docto prodit ab Angelo,
Hæc est beatæ summa peritiæ;
Hoc cuncta noscentis stupendum
Indicium, specimenq; mentis.

BENEDICTIO,

Qvam Seren. IOANNES III. Rex Poloniarum, dabat unicæ suæ Filiæ TERESIÆ, KUNEGUNDI, dum Seren. ELECTORI Bavariæ desponsata, in viam se ad suum Seren. Maritum expediret Varsaviâ, die 13. 9vembr. An. 1694. Cujus Benedictionis, vernaculo idiomate, (ut erat super imaginem B. M. V. scripta) tenor additur, & in latinum versum transfertur.

Błogosłáwieństwo Królá Iego Mśći, ná Obrazku Beatissimæ *nápisáne Elektorowey Iey Mśći w drogę,*

die 13. 9vembr. An. 1694.

JUżże tedy szczęśliwie wyieżdżay iedynie á serdecznie kochána Corko moiá, z Domu Rodźicow, y Bráći twoich. Oćiec Niebieski niech będźie z tobą; ktoremu ćię oddáię w ręce. W rány záś Zbáwićielá nászego niewinne kłádę ćię: y pod obronę Mátki Nayświętszey iego. Aniołowie SS. niech ćię strzegą. Pátronowie Krolestwá tego, y Domunászego niech ćię w swoiey

máią opiece: niech ci uproszą dáry wszystkie Duchá Swiętego. Y ábyś oglądáłá Synow twoich á Wnukow nászych. Toć dáię pożegnánie żáłosny á serdecznie kocháiący Oćiec twoy.


IAN KROL.

ODE L.

ERgo jam fausto mea Nata passu
De domo pergas Patris, & tuorum
De sinu Fratrum, Patriæq́; charos
Linqve Penates.
Sit viæ fidus socius, Polorum
Rector & terræ; manus illa faustum
Præbeat ductum, Superûm beatos,
Qvæ regit axes.
Saucium IESU latus innocentis,
Te cavernoso capiat recessu;
Te Redemptoris foveant cavata
Vulnera Christi.
Mater & Virgo Tibi cum patrono
Adsit Ancili; tueatur umbo
Te Marianus, solidet Paternum
Ægide Scutum.
Perge, securum præeant fideles
Angeli gressum; simul inseqvantur
Fau-

Fauſtitas & Pax, faciantq; tuto
Currere calle.
Integrum Divos Lechiæ Patronos,
Qvos colit Regnum, qvibus & reclinis
Noſtra ſe totam Domus obſeqventi
Vertice ſubdit:
Hi, DEUM pro Te pariter precentur;
Donet ex illis Tibi qvas ſacratum
Gratias Flamen ſolet è benigna
Spargere dextrâ.
Prole ſis felix videas nepotum
Filios, noſtros videas nepotes,
Hoc vovet mærens Genitor precanti
Corde IOANNES.





AD
BENEDICTI
à S. IOSEPH,
SCHOLARUM PIARUM,
LYRICORUM
LIBROS
ERUDITORUM VIRORUM
Pòéticè admodulantium
AMICI APPLAUSUS.

A. R. P. PETRI DVNIN
è SOCIETATE IESV,
Ad Lyram Benedicti à S Ioseph.
ODE.

QVousq; pigri conscia nominis
Testudo pendes? Sideri Apollinis
Applaude: CALASANTIANO
Qvod meruit radiare Cælo.
Longinqviori verus amor mora
Torpere nescit. Grandia qvin capit
Augmenta ab annis, & seqventi
E teneris revirescit ævo.
Qvalis profundo Timachus alveo
Immensus undis stagnat: at hîc, ubi
Sor-

Sortitur ortus, tesqva lambit,
Et liqvidos Rhodopes qverelis
Ciet lapillos. Insereret suo
Cùm Te Pòëtam Melpomene choro,
Primiq; vernantem ligarent
(Mæonii pretium laboris)
Frontem Corymbi ; plausimus Entheo
Exordienti : Numine qvem suo
Primasq; Regni, & eruditos
Vir Proceres memorandus inter
Fovit benignè : (qvi sapientium
Vivit medullis in similes amor)
OLSZOVIVS, Gnesnæq; mitras
Pierias meritusq; Lauros.
Iam grandiorem poscit adultior
Buxus cothurnum. Cogimur in Tuas
OLOR Pòëtarum, Cycneis
Ad numerum volitare pennis
Laudes. Apollo es, vertice Pindari
Dum sistra pulsas, altior. An Tua
Sub copioso non laborat
(Digna Cedro redimiri & Auro)
Sententiarum pagina pondere ?
Qvantis superbit carmen honoribus,
Cùm sanctiores, vel profanas
Arte togas numerisq; vincis.
Colit beatis dives adoreis

Volu-

Volumen Orbis, qvo Cracias canis
Antiſtitum vittas, Vavelli
Turrigerum gemino cacumen
Pro Colle nactus ! nec Phrygiæ magis
Labore Princeps ardet acûs Mitra,
Nec fulgurantium renidet
Igne freqvens magis unionum :
Qvàm ditiori Calliopes penu
Micat metallo ! ſic ubi cæteris
Sylviſq; qvæſitâq; Lucis
Et nemorum per opaca Daphni
Comæ evireſcunt : Te meliùs ſacra
Inaugurabit tænia Apollini,
O magne Muſarum Sacerdos
Præſuleos recinens Tiaras.
Neglecta qvòd ſi buxus ab uncino
Pependit olim, vel Periclis jacis
Ab ore fulmen, detonante
In ſcelerum malefacta, voce:
Vel mitioris conſilij arbiter
Svades Honeſtum, cogis ad ardua
Virtutis, impigras moveri
Eloqvio meliore mentes.
Te Gandiarum Principis ad pedes
Damnata qvondam Purpura, BORGIÆ
Sortita Præconem, Parentis
Te minimi Sociorum IESV

Cæ-

Cætûs, renarrant Nomina non rudi
Ad Orbis aures ac oculos manu
Porrecta ; Te exornant trecenta
Pieridum BENEDICTE serta.
Multiplicatis, nam Tibi gloria
Currit qvadrigis, sive per Exedras
Orator audiris, bicorne
Sive jugum fidibus freqventas.
Fastigiato sunt qvibus emicat
Ab Igne Nomen : Lojoliæ Tibi
Per sera visendos nutrire
Sæcla Pyræ poterunt honores.
Æthæa moles jam minor aspici,
Sepulta mæret sub cinerum rogo.
Sed qvi Coryphæos celebrant,
In tenebris jacuêre nunqvam.

A. R. P. ADALBERTI BARTOCHOWSKI, è Societate Iesv.

Ad eandem Lyram Benedicti à S. Ioseph Scholarum Piarum.

EPICITHARISMA.

POrtenta rerum! Taijgeti juga
Placent Melampis, Tygribus Africa;
Delphinus Ægæum, Cythæron
Vultur amat, Crocodilus Algæ

Natale littus. Non lepus Insulam,
Non Vrsa sylvam, non Libycum Iovem,
Non Pardus accusat cubile,
Non Leo, non Basiliscus antra,
Non cæca Lynces lustra, nec avios
Cervi recessus. Qvæq; suos amant
Feræ penates, nec furores
Oceani, & scopulos acutos
Balæna temnit. Psittacus Indiæ
Deserta laudat, nec luteam Domum
Hirundo declinat, sed altâ
Voce canit, celebratq; nidum.
Nobis, Poloni, sidera patrij
Obscura cæli. Qværimus exteros
Orbesq;, Solesq;, & Lycæa,
Oceanum trepidante remo,
Mirante prorâ: qvòd digitis tribus
A morte ferri nos juvet ultimâ,
Et per tot undarum timores,
Ludibrium fieri procellis,
Pilamq; Ventis. Parcite Sarmatæ,
Nam vera pando. Plus placet ultimi
Aurora solis, plus remoti
Fraga soli, foliumq; Chinæ,
Plus cæsa sylvæ Pinus Iberiæ,
Plus rapta Floræ Lilia Gallicæ
Placent, & (imò sæpe) fungus
Qvem

Qvem Euboicus properavit hortus;
Qvàm gemma nostro nata sub Hespero.
O qvanta labes! Siccine Lechicæ
Exhausta Pandoræ supellex?
Siccine pauper ager, Cerésq;?
Heu Sparta felix Civibus aureis,
Qvàm me Minervæ, qvàm miseret Tuæ.
Remota laudamus Poloni;
Nostra carent decora alta Vate!
Nec nos Latinis Vatibus invidum
Exclusit ævum. Nos qvoq; & arduas
Tranare nubes, & Pelorum,
Et liqvidi super alta Ponti
Terga, & Corinthum Calliope dedit
Impune ferri, & gemmea novimus
Crystalla Musarum, & recessus,
Et vitreos Aganippidum amnes,
Phæbiq; colles. Cur tamen, (heu pudor!)
Externa Lauro tempora cingimus,
Et nostra sqvallent! Huc Camænæ
Ferte rosas, violasq; Cyrrhæ
Laurosq; Cinthi, non popularibus
Natas viretis. Singula sæcula
Olim Marones, Persiosq;
Vix poterant generare. Roma
(Non fallor) unum novit Horatium,
Vnum Tibullum. Fertilior tibi

O Le-

O Leche tellus; tot Marones,
Tot numerant tua Luſtra Vates.
Nolo Polonam Caſtalio Thetim
Præferre Fonti. Nolo Lechi juga
Æqvare Pindo. Te ſilere
Fama vetat, memoreſq́; Faſti,
Germane Magni Frater Horatij,
Devote Muſis à tenero Nepos,
Et gemma Cyrrhæ. Digne cælo,
Digne dapes ſuperûmq́; cænas
Condire metro. Gallicus Hercules
Non vult videri, ſeu Latio ſonas
Diſertus amni, ſeu Periclis
Fulmineo ruis ore tela,
Seu Te Menandri, ſeu Senecæ juvat
Ferri cothurno, ſeu Lechici tubam
Ciere Martis, ſeu Tyaras,
Et Craciæ decora alta Mitræ,
Seu qvando ſacrâ plurimus Exedrâ
Fundit pyropos ardor, & aurea
Depromit affuſas in aures
Lojoliæ monumenta Famæ.
Qvis Borgianæ Stemmata Gloriæ,
Qvis digna priſco pectora ſæculo,
Rarâq́; Majeſtate plenum
Eloqvium, niveoſq́; mores,
Qvis eruditæ Palladis Atria,

Qvis

Qvis docta sacræ limina porticûs,
Ducesq; cantatosq; Reges,
Æqvet Olor Benedicte Vates
Te præter unum? Plura vetant loqvi
Iurata magnis sæcula Vatibus.
Adire non poteſt Tuarum,
Exiguo mea Muſa lembo
Trophæa laudum. Non bene ſuſtinet
Parvâ Gigantem, Pumilio manu.
Non Virga Cedros æqvat altas.
Cedit Eos, veniente Sole.

A. R. P. STANISLAI à IESV MARIA

Clericorum Marianorum Immaculatæ Conceptionis Præpoſiti.

NE ſolus Orbem Sarmaticus, lyræ
Princeps Latinæ, Phæbus obambulet
Sarbievius, Te illi fidelem
Et ſocium, & comitem, faventes
Dedêre Muſæ: ſpes Lechiæ altera;
Lumen Senatûs grande ſcholaſtici,
Decusq; maximum Piorum,
Phæbifluens BENEDICTE, Patrũ.
I, Fama qvo Te nobilis aureo

Per

Per regna, gentes, evehit esſedo;
Iugumq; Parnaſſi relinqvens,
Pegaſeis ſtimulatus alis:
Vltra ſnperbas collibus arduis
Alpes, & ultra culmina Caucaſi,
Excelſa ſplendidis ab indè
Verticibns ferientis aſtra.
Latere Muſas dedecet, uſibus
Caſtæ juventæ progenitas. Dij,
Qvod ſemen infudêre nobis
Caſtalium, per aprica ſpargi,
Voluntq; ſemper creſcere. Dedecet
Occulta prudentes Sapientia,
Secreta Virtus æſtimatur;
Scire Tuo cupidi fruantur.

PETRI FRANCISCI à Conceptione B.M.V. Secretarij Generalis Scholarum Piarum.

Ad Lyram Benedicti à S. Ioſeph.

O D E.

QVò qvò in ſupremas corripior plagas,
Nec viſa motu garrula perpeti,
Raucâ ſilentem voce monſtra
Inſolitum ceciniſſe cogunt?

Vides

Vides ut alto vertice proruunt
Nutando laurus, carmina carmine
Excuſſa docto, per Polonos
Proſiliunt magis aucta plauſus.
Lesboa fregit, (ſenſimus) àéra
Teſtudo , fregit Pierias domos
Fonteſq; , Thebanus ſacerdos
Ipſa ſuo movet aſtra plectro.
Novus Polonæ jam fidicen lyræ
In carmen urget barbiton : ut BENE-
DICTVS latinâ concinendo
Exhilaret Venuſinus arte.
Adeſte Muſæ, Pythagoras ſuis
Cæleſtîs ignîs ſemina fabulis
Mutata quæ finxit, Calabro
Nunc renovat BENEDICTVS arcu.
Hoc Infulatas Cracoviæ Comas
Septemq; claris geſta trionibus
Audivimus, ſuggeſta clamant
Et celebres redeunt cothurni.
Silete : Sacris junctus oloribus
Perſtringit aures, flumina Viſtulæ
Regalis ut mulcet Poëta,
Attonito fluit unda paſſu.



IGNA-

IGNATII à S. STANISLAO
Scholarum Piarum
Ad Lyram Benedicti à S. Iofeph,
Carmen Amicum.

DEfcendet ultro tergore Pegafi ;
Frænofq; reddet Bellerophon tibi ;
Ibit pedefter, fervietq;
Ad ftapedem Tibi magne Vates.
Vos eruditæ laurea Virgines,
Vos ferta docto ponite vertici,
Vittifq; frontem vincientes,
Qvæq; fuum properet tributum.
Arcum, fagittas, tela pöeticis
Alata pennis, Calliope tuum
Da prima munus ; Tu Thalia
Da pharetram docilemq; nervum.
Vix ifta dixi, vix loqvor : alitem
Eqvum lupatis jam premit ocyor
Pöeta ftrictis, infidetq;
Aligero bene fixus armo:
Habetq; plures, qvi ftadium petant ;
Monftrentq; metas æmulus æmulo,
Gades remotas, impigrifq;
Herculeæ fcopus eft columnæ.

Inter-

Interq; primos primus Horatius
Tam concitatis paſſib. emicat ;
Vt nemo jam ſit, prævolanti ,
Qvi lyricis pedibus propinqvet.
Inter ſeqventùm maxima nominum
Exempla, primus, Tu, qvaſi proſilis,
Palmamq; vectus tu reportas
Pegaſéo BENEDICTE dorſo.
Sic Rhætiorum tergora montium,
Sic confragoſi culmina Caucaſi
Tranſcendis, Alpes, & Niphaten,
Carpathicas teris & pruinas.
Præcurris Euros, vincis & Æolos;
Lenes at inter lenis Eteſias
Fluis, qvæ ad aurem muſſitantes,
Carminibus tibi colloqvuntur.
Tibi ipſe docto pulvere gymnades
Fervere vidi, noſco ſcholaſticas
Lauros merentem ; per palæſtras
Continui fuimus ſodales.
Laborioſas vix opulentiùs
Vel Hybla dulci paſcit apes thymo,
Qvàm tu audienti, vel legenti
Mellilegus fueras Hymettus.
Non fabulatur Græcia comptiùs,
Non vera ſcripſit Roma fideliùs,
Referre qvàm tu pervetuſtos
Hiſtoricos, potes ac Pòëtas.

Per te locuti dulcia Neſtores;
Per te profundi grandia Tullij:
In te locutæ ſunt Athenæ;
Tu Latio gravis in nitore.
Hinc ille ſtillat de calamo favus,
Facundioris flumina copiæ
Hinc illa manant, hinc ſcaturit
Caſtalio tibi verſus amne.
Qvæcunq; dulci nectare diluis
Sententioſi fragmina carminis,
O qvàm profundâ! qvàm tenaci
Ambroſiâ madet ille ſermo!
Horatianum natus ad Aufidum
Qvaſi fuiſſes, limpidus effluit
Sic verſus omnis, ſyllabæq;
Sat facili pede ſe ſeqvuntur.
Hæc ſunt profanæ dogmata gloriæ:
Eccleſiaſten, qvi volet, audiat;
Dicetq;, vix aurum locutos
Chryſologos, aliter docere.
Beata qvæ tu roſtra diſertior
Intras Pericles, percita fervidis
Vbi figuris, & troporum
Luminibus tua lingva fervet.
Armata ſacris verba tonitruis,
Ardenſq; docta fulgur ab exedra

Per-

Permulcet aures, & modeſtis
Fulminibus qvatit omne pectus.
Hinc illa mæſtis nubila mentibus
Surgunt, & imbres largiùs eliqvant
Plenæ doloris, lachrymiſq;
Exſiliunt oculis procellæ.
Si ſtringis aurem ſvaviloqventiâ,
Non verba dicis, ſed fluit aureo
Catena nexu; qvæ diſerto
Circuitu ligat audientes.
Vtcunq; dicis, non ita perſtrepis;
Velut qvi inanem verberat àëra;
Sclopoq; ventos, & crepantes
Abſq; globo jaculatur auras.
Ad uſq; fibras pectora conficis:
Qvodcunq; Svadæ de pharetra tuæ
Telum vibrâſti, nullus exit
Innocuus ſine cordis ictu.
Et inde tanti ſidere nominis
Apex relucens neſcit in abditis
Latere, neſcit glorioſum
Se tenebris ſepelire nomen.
OLSZOVIANIS inde favoribus,
Primiq; Regni Principis aulicam
Colis Pòëſim, gratioſus
Præſuleo lateri Pòëta.
Cracovienſi tu MAŁACHOVIO

Qvædam voluptas : Infula te tua
Epiſcoporum, ex laureato,
Aût lyrico, facit infulatum.
Viden. ? ut omnes prævalet hæc tua,
Hæc una famæ meta ſcholaſticæ ;
Hæc præ trecentis, hæc lucrandi
Eſt methodus melior favoris.
Sudata multo ſangvine gloria,
Inventa duris fama laboribus
Horam manebit ; cûi per annos
Ingenuæ ſtuduêre mentes.
Vbi ille tantus claviger Hercules ?
Vbi illa tandem Martia numina,
Druſi, Camilli, vel Metelli ?
Cum Fabijs ubi Scipiones ?
Nec iſtud eſſet, qvòd fuerint, palam ;
Nî penna vindex pulvere conditos
Exſuſcitaret, nî ſepultis
Illa ſuos revocaret annos.
Qvæcunq; mundus, sêu diademata,
Ducum coronas, ſeu colit Infulas,
His ſe coronat mors, & omne
In tumulum caput ire cogit.
Nunqvam cupreſſis tempora laureo
Induta cultu, ſtrinxit inertibus
Mors dira, nunqvam vel Minervæ
Diripuit Libitina ſertum.
Obli-

Oblivioſo fata ſilentio
Audita latè nomina ſupprimunt ;
Plauſuſq; ceſſant, & ſonoræ
Abſq; tubis ſiluêre laudes.
Et tu tacebis, garrula cum tuis
Sed fama ſcriptis diſſeret, & licet
Iam lingva torpebit, ſilere
Non poterit liber hic ſuperſtes.

DOMINICI
à S. Thoma Aqvinate, Schol. Piarũ,
Ad Lyram Benedicti à S. Ioſeph,
Amicus Accentus.

SEmper pruinæ pulchriùs albicant
Atrata circùm ſtagna Mæotidis,
Corvos & inter nigricantes
Stat niveus ſine labe cygnus.
Gemmis qvid obſtant, qvidvè corallijs
Petroſa celſi fragmina Caucaſi ?
Abjectus inter ſaxa pulchro
Eſt adamas pretioſus igne.
Regina florum qvàm bene purpuram
Evolvit arctis vepribus obſita !
Nec pugiones carduorum
Liligeris nocuêre campis.

Phæbo qvid unqvam ſcorpius obfuit?
Cancer biſulcâ forfice pertinax
Claro Phaneti non totondit
Aurifluos ſine lege cirros.
Vibratus inter murmura nubium
Splendor coruſci fulguris emicat,
Opacâ nimborum procellâ
Fulminei rutilant nitores.
Et lux diei nocte puerperâ
Prognata creſcit, filia candida
Matris tenebroſæ, ſub umbra
Fax meliùs jaculatur ignes.
Et Te calentem fortiter Entheo
Pòëſis almæ Parrhaſis algida
Inter pruinas educavit
Sarmatico BENEDICTE cælo.
Eheu ſtupendum! flamma ſub Arctico
Polo coruſcans fortè Trinacria
Incude major, major Æthnâ
Sub gelido radiavit axe.
Peruſtus ardet fons Aganippidum,
Focoſq; largis evomit alveis
Tantos ad æſtus credat orbis
Caſtalij tenuantur amnes.
Pro lacte paſtus Nectaris Attici
Succo videris; proq; crepundijs
Laurus Tibi fuêre ſuaves

Qvas

Qvas digiti tenuêre parvi.
Reptare lentis pusio gressibus
Necdum sciebas, jamq; Pòéticos
Dextrè pedes formare nôsti,
Magnifico gradiens cothurno.
Thalia nutrix ipsa Tibi fuit;
Stravêre cunas Pieridum manus,
Tibi canentes fasciato
In gerulas abiêre Musæ.
Si qvando tangis carmine sidera,
Eous, Æthon & Pyrois celer
Phlegonq; Phæbei jugales
Ad numeros saliêre plectri.
Velociori truditur impetu
Raptus polorum,, sphæra volubilis
In mille circulos reflexa
Ad cytharæ modulos oberrat.
Si doctiori pectine cærula
Describis alti marmora Nerei,
Cadunt procellæ, murmur omne
Composuit taciturnus amnis.
Non jam per undas mellea diffluit
Dulcedo vocis, qvam dedit aureo
Ab ore Syren, palpitantes
Iamq; timent resonare conchis,
Tritones; unus Tu superas Lyrâ
Omnes, nec audent æqvore verticem

Proferre, ſuffuſos pudore
Ante Tuum pudet ire vultum.
Si fortè, metris exprimis áëra,
Ad ſvavioris ſiſtra melodiæ
Tacent alaudæ, præſecatqve
Dulciſonos philomela cantus.
Si detonantem grandine ferreâ
Canis Gradivum, mox litui ſilent,
Tormenta compeſcunt boatus,
Fulmineo gravidata partu.
Vix non liqvatus ſtillat ad igneos
Sermonis æſtus in galea chalybs,
Mollitus & mucro tepeſcit,
Atq; rigens adamante Mavors.
Qvod ſi curules vel diademata
Verſu recenſes, pulchriùs emicat
Virens ſmaragdus, candicantes
Gemma nives meliùs per aurum
Diffundit; ô qvàm pulchriùs æſtuat
Fulvis obryzum decolor ignibus?
Magis pyropus erubeſcit,
Sidonio radians in oſtro.
Vocalis Echo per CALASANTIOS
Sonat receſſus, Famaq; buccinas
Fatigat in Tuæ Camænæ
Emeritos ruitura plauſus.
Et Infulati dant Tibi Vertices
Plau-

Plausum Pöétæ, mille panegyres
Dat MAŁACHOVIVS, foventq;
OLSZOVVII cineres in urna
Flammas amoris, qvo Tua dogmata
Et doctioris regna scientiæ
Semper colebat, tot corymbos
Laurigeræ cumulando fronti.
OLSZOVIANIS FALCIBVS aureæ
Demessuisti Gargara gloriæ,
Hinc mille laudum stant manîpli,
Inde graves fluitant aristæ
Honoris alti, vel reverentiæ
Primatialis ; qvam Tibi detulit
Culmen Tiaræ, dum seqvacem
Te propriæ retinebat aulæ.
Qvem Culma celsis auxit honoribus,
Suspexit in Te candidus indolem
Ætate cygnus SZCZVKA, summam
In calamo veneratus artem.
Qvos uniones addidit Infulæ
Cracoviensi, gemmifer ingenî
Ganges Tui, tot margaritas
Vix numerant Orientis undæ.
Arcana cordis nectare dulciùs
Imbuta lactat charta Pöético,
Camæna suavior legenti
Non satiat repetita mentem.

Qvis ille fervor? roſtra calentibus
Dum ſacra verbis oreq; detonant
Tuo, Pericles alter audis
Grandiloqvo reſonans fragore.
Finduntur alto pectora vulnere,
Cordis reſultant Acroceraunia,
Duræqve cautes, malleante
Diſſiliunt trèpidantq; dicto.
Delubra Divûm marmor, & aurea
Templi ſupellex, non ſecus ac forent
Aurita, maximè ſtupeſcunt
Mellifluæ documenta lingvæ.
Non tam tenaci compede fragmina
Ferrata, magnes fortior attrahit,
Nunqvam potentiùs rapaci
Arte levat ſtipulas electrum:
Qvàm Tu ſtupendo mentis acumine
Trahis potenter corda per improbos
Raptata nævos, & ruentem
In ſalebras vitij catervam.
Attinge celſo ſidera vertice;
Tranſcende ſtellas, hîc Tua perſonet
Buxus canorè, qvò faventes
Luce chelyn poſuêre Divi.
Tuum Favonî nomen in ultimam
Thulen reportent, hoc Tibi Ternio
Fraternus exoptat, vovetq;
Relligio CALASANTIANA. Ven-

VENCESLAI
à S. Francifco Scholarum Piarum,
Ad Mufam Benedicti à S. Iofeph,
Amicus verfus.

EVifceratos India findere
Montes avaris docta ligonibus;
Opumq; folers ex profundis
Qvidqvid Arabs habuit fodinis:
Qvidqvid per amnes Lydia gemmeos
Pifcata, multo fænore vendidit;
Pactolus effert qvidqvid auri,
Qvidqvid adhuc tegit & Lycormas;
Id omne cenfu ditior ingenî
Minerva vincit: divite ditior
Apollo Pluto: Mufa dives
Mygdonium licet abfit aurum.
Mens erudito vertice condita,
Riphæus eft mons, mons velut aureus,
Qvâ literato cum labore
Eruimus prætiofa qvæq;.
O qvàm profundè tu fodis aureas
Artis medullas, in fapientiæ
Scrutator antris, doctiori
Dum calamo BENEDICTE fudas!

Hinc aureorum fragmina ſenſuum ;
Sententioſi carminis hinc nitor ;
Verbum Latinas omne præfert
Divitias ; ſonat & valorem.
Auri fodinas has colis impjger ,
Qvibus profundæ fons ſapientiæ
Manans refuſo perſpicacis
Ingenij vehit amne merces.
Non ſic ab ipſis deciduus jugis
Ex Noricarum rupibus Alpium
Se volvit Iſter, per repulſas
Ire potens ſinuoſus omnes.
Non ſic ab alto lapſa cacumine
Fluenta ſurgunt, mentis acumine
Vt orta, vaſti ſe refundunt
Eridani vada docta more.
Non ſic procellis ſpumat in aureis
Tagus relinqvens margine divites
Vtroq; ripas, non Hydaſpes
Gemmifero ſpatiatus amne.
Argenteorum gurgite fluctuum
Tot Hermus adfert vix opulentias,
Qvot fert profundis eruditas
Marginibns Tua Svada gazas.
Non uniones tot tulit India,
Fæcunda non tot Creta corallijs,
Qvot margaritas, qvot ſmaragdos
Qvot

Qvot teretes loqveris pyropos.
Fandi facultas ſvaviloqventibus
Rotunda membris; fervidus eloqvî
Qvis ille fulgor? verba non ſunt,
Sed potiùs pretioſa docto
Electra formas ore, qvibus novus
Theſaurus extat; non aliter, velut
Ex ditiori ærario, ſat
Grande decus pretiumq; creſcit.
Hac arte Vates hocce peculio
In poſterorum ſæcula temporum
Enundinaberis perenne
Ipſe Tibi BENEDICTE nomen.

PETRI ab Aſſumpt. B. M. V. Scholarum Piarum,

Ad Lyram Benedicti à S. Ioſeph.

ODE.

ET nonnè tandem ſqvallida triſtibus
Vmbris recedes nox fera? nubilum
Qvæ mittis aſtrum, Mariano
Qvæ rigidas facis Orbe noctes.
Qvid fama pulchris deflua paſſibus
Vicina non ſtat, qvid CALASANTIOS
Monſtrare dedignatur ortus
Aerijs agitata pennis? Ergo

Ergo decoræ nescia gloriæ
Damnanda cæcis Relligio locis?
Ignara nativi nitoris
Ergo suas aget inter umbras?
Hæc, qvam perennis plausus in ultimos
Portare fines debuit, abditis
Fatiscet in cunis, coruscâ
Nec poterit radiare luce?
Abscedat umbris æthra ferocior,
Nec clara pulchræ stemmata gloriæ
Obnubat ultrà, cùm nitentes
Parturiat Pia turba Soles.
Dixi: serenis cùm mihi nubibus
Apparet arcus, qvi bene nobiles
Evibrat & faces, & ignes
Luciferas referens ad arces.
Hic ille fusis arcus in ignibus
Splendescis, ex qvo fulgor ad ultimos
Descendit orbes, ille clares,
Ille micas BENEDICTE Titan.
Accendis alti lumina nominis,
Qvæ spectet orbis Lechicus, & nova
Vt qvisqꝫ spectet aucta luce,
Gesta legat numeretqꝫ laudes.
Dixisse vatem falsa, nec arguent
Anni seqventes, vidi ego nobilis
Decora famæ, Mariano
Te

Te duce cuncta venire mundo.
Adhuc juventus tempora florido
Pingebat ævo, pectore cum tuo,
Et Phæbus, & Musæ calentes,
Attonitos rapuêre vultus
Orbis Poloni; cordaq; Principum
Illecta svavis carmine barbiti
Aulas honesti recreabant
Voce lyræ, calamoq; Vatis.
Gavisus ortum tunc CALASANTIO
Titana vivens OLSZOVIVS polo,
Cûi pectus in sphæram reclusit
Corde fovens tenerum Pòétam.
Sic Phæbe clares, sidere sic Tuo
Pijs refulges, sic Tua Præsuli
Buxus placebat; sic in ævum
Viva micas BENEDICTE flamma.
Nunc evibratos arcubus in Tuis
Spectamus ignes, Deliaco nites
Splendore gratus. Seû modestâ
Te cupias sepelire nube:
Te fama prodit: post licet ultimi
Latere tentes culmina Carpathi;
Latere non potes, perenne
Musa cui recitabit jo.
Vbiq; Virtus sole serenior
Inter micantis lumina gloriæ,

Lippi-

Lippire nativum decorem
Fert animo minùs æqviore.
Sed ſe potenti promovet impetu,
Cælo cadentis fulminis in modum,
Vmbriſq; pulſis, in ſerenas
Se validè movet ultrò luces.
Qvam nec vibrato vertice celſior
Abſcondit Hæmus, nec juba tetrici
Obvelet OEtæ, nec refuſo
Sufficiant operire crine
Soli minantis culmina Caucaſi
Nec mille major Muſa decempedis
Obnubilet, qvam glorioſis
Semper honos comitatur alis.
Non eminentûm Te juga montium
Æterna celent lux CALASANTII
Cæli, Mariano perennis
Stella nitens rutiles in orbe.
Splendeſce felix, promeritis, precor,
Te Diva virtus luſtret honoribus,
Qvem Roma, qvem cuncti triones,
Qvem ſuperæ venerentur arces.
Splendeſce cuncto tempore fulgidus
Splendeſce mundo, qvi reparas dies
Claſſi Piorum; ſic coruſcans
Aſtra poli referaris inter.

Ad Lyram BENEDICTI à S. IOSEPH, PAULI à S. PETRO Lyrica admodulatio.

QVis me tollit in àëra,
Qvò venti rapiunt, auraq; præpetem
Qvo defert? medias levis
Nubes pervolito. Iam mihi devia
Cedunt culmina montium,
Linqvo nubiferi jam juga Carpathi
Præpes, regnaq; Sarmatûm
Abſcedunt volucri, jam mihi regiæ
Turres, jamq; abeunt Craci
Erecta ex Pario Pergama marmore,
Viles & populi caſæ.
Proceras nemorum tranſilio domos,
Sylvarum fluitantia
Scando colla ſuper, raptus ab impetu,
Per prærupta, per ardua
Sublimi volucris tollor anhelitu.
Perq; undas rapidi Tyræ,
Pergo per refugi flumina Viſtulæ,
Inflexumq; Boryſthenem,

Vltra

Vltra Danubium provehor impetu,
Vltra flumina Nerei,
Et Ponti tremulos turbine gurgites.
Tandem Pierij celer
Parnaſſi in bifido ſiſto cacumine ?
Pindi laurigerum caput
Scando, Caſtalius fons ubi garrulo
Currens murmure volvitur.
Num rerum dubia ludor imagine ?
Fallax num ſpecies tenet
Errantem ? roſeus Cynthius hîc ſedet
Pulſans pectine barbiton,
Cingit fatidicum Caſtalidum chorus,
Circumſtant comites novem,
Adſtant Argolico climate proflui
Vates, Romaq; qvos dedit,
Convexusq; tulit qvos globus ætheris,
Cuncti tempora vinciunt,
Præcinguntq; comam, ſertaq; laurea
Imponunt capiti Tuo
Illuſtris gremij lux CALASANTII.

STANISLAI à S. SEBASTIANO
Scholarum Piarum.

Ad Lyram Benedicti à S. Ioſeph,

O D E.

QVæ ſcena! Muſæ Caſtalium mare
Linqvunt, Apollo culmina deſerit
Cynthi, volando, qvò trahuntur
Voce Tui BENEDICTE plectri?
Phœbus nepotem Te celebrat ſuum,
Fratremq; caſtæ Pierides colunt,
Apollo dat lauros, Sorores
Serta parant Lechico Pòëtæ.
Tacere ſacrum Numina barbiton
Iubent, & arctant ora ſilentio,
Dum clara per colles Piorum
Echo Tuæ reſonat Camænæ.
Parnaſſus alto vertice ſubſilit,
Tui vocatus carmine pectinis;
Et qvi nec Orphei canentis
Fila ſeqvi voluit, ſuperbis
Thebana qvando mœnia turribus
Cingebat: ultrò volvitur ad Tuas
O Cygne plantas, Teq; ſolum
Ferre jugo ſatagit bicolli.
Atro ſepulcum marmore Horatij
Thalia tollit de tumulo caput,
Adoret ut pronus, qvòd ejus
Plectra mori patiare nunqvam.
Nam Muſa qvòd non vatis Horatij
Situ-vetuſti mortua temporis
Pennâ ſeqvaci præſtitiſtis

Sarma-

Sarmatici Lyrices Magiſtri.
Argutus olim Flaccè tuam dedit
Orbi Polono Sarbievius lyram,
Qvam Phæbus obtulit fovendam
Arte, manu, ſtudio, labore
Vati Piorum. Qvi CALASANTIA
In rupe ludens, nunc diademata
Regum ſerenat, nunc Curules,
Præſuleis modò digna Vittis
Fundit diſerto carmina pectore;
Oſtrumq; pingit flore Pòético,
Ducumq; geſtis, Principumq;
Dat meritas Charites tiaris.
O qvot cruenti Martis in area
Per æſtuantem ſangvine Nereum
Fortuna jactans, à beato
Diſcupîjt Latio decoræ
Arcere laudis! nec meritâ caput
Lauro volebat cingere Zoilus
Livor, triumphales Gradivi
Nocte premens rigidâ co...ſſos.
Sed Tu Polonos Annibales nigro
Oblivionis carcere, poſthumis
Annis colendos vindicâſti
Docte Maro, redivive Silli.
Non unus Hector Sarmaticus Tuo
Vitam perennem ſumit ab entheo,
Non

Non unus Ajax, Te favente,
Morte caret, qvia vate gaudet.
Dum bella ſcribis, pagina Noricum
Induta ferrum, pugnat in hoſticos
Lethi furores, ne Lecheam
Fata qveant tumulare famam.
Hinc clara docto nomina lumine
Ecqvæ nefaſto funere nubila
Sepulta reddent ? qvæ ſerenas
Deliaco rutilans Planetâ.
Qvis gratiori ſidere Craciæ
Arriſit unqvam Phoſphorus Infulæ ?
Qvæ gemma MAŁACHOVIANA
Fronte poteſt melius nitere ?
Qvàm de profundo flumine Palladis
Collecta per Te ; lumina Præſuli
Hæc ſola clarent, qvæ fideli
Phæbe dabas BENEDICTE pennâ.
O qvanta fulget gloria Cathedris;
Qvas Tu coronas! ſeû pius exedris
Audîre Rhetor, ſeu Scholarum
Roſtra premis vigilans Magiſter:
Vbiq; pleno depluis æqvore
Gemmas, vel acri fulmina Tullij
Sermone fundis, & Iugurthas
Confodiens, & amica recto
Gemmis adornans pectora ; fertili

Qvi-

Qvivis honesti semine pullulat,
Ab ore qvem Tuo resultans
Nectareo rigat amne Svada.
Illa illa verò turba rebellium
Ferox Gigantum, qvæ vitijs graves
Attollit Ætnas, ad Charontis
Antra Tuo ruit icta telo.
Python scelestus sentit Apollinem,
Medusa sentit Te sibi Perseum
Instare, qvi non Marte, verùm
Arte domas scelerum phalanges.
Exinde laudis crescit adorea,
Crescunt honores, invida qvos Tibi
Non tollet ætas; nam perenne
Docta viret pietas in ævum.

PAVLINI à S. ANDREA
Scholarum Piarum,
Ad lyram Benedicti à S. Ioseph,
ODE.

QVidqvamnè mundo parturijt parens
Natura rerum? dente ferociùs
Qvod non vetusto, oblivionis
Præcipites cadat in ruinas?
Sqvallent profundas obruta plurium
Passim per urnas busta, nec inclyta

Qvis

Qvis novit acta, claruiſſe
Vixq́ ſeqvens retinebit ætas.
Credisne? tandem victima triſtibus
Prodimus omnes terrigenæ dijs;
Parendo fatis, deſtinati
In vacuas remeamus umbras.
Multos iniqvæ non tamen impetus
Hic ſortis urget, non qvoq́ detrahunt
Annis ſorores, nonq́ volvunt
Fila retro ſua ſæpe Parcæ.
Depreſſa docti marmore conditur
Non mortuali gloria; ſtat ſuper
Labantis inconcuſſa mundi
Damna, gravi cilio verenda.
Determinati neſcia limitis,
Scandit minacis nubibus obvios
Clivos Olympi, gloriantem
Herculeis Abylam trophæis.
Non tam ſuperbis atria poſtibus,
Non tam vetuſto turgida ſtemmate
Protenſa ſurgunt, qvin remotas
Fama qveat ſuperare Gades.
Sic non inanis jam Tibi nuncius
Rumor per orbem currere ſpargitur
Ex hinc ſeqventis luſtra ſæcli,
Neſtoreos BENEDICTE menſes.
Qvidqvid diſertâ compoſitum Tibi
Muſâ,

Musâ, ſtupenda mole, perennibus
Durabit annis, ut labore
Pierio celebreris orbi;
Aſtris propinqvus vertice pendulis
Pindus reſultet, multoties ſuâ
Lauro revinctum, vel ſagittis
Palladiæ pharetræ videbit.
Poſt jam ſecundis auribus influes,
Mentes tenebis, cordaq; vincies,
Cantare ſolus audieris
Signa ducum, populiq; facta.

MAVRITII à S. IOSEPH
Scholarum Piarum,
Ad lyram Benedicti à S. Ioſeph.
O D E.

COmmenta ſunt hæc; ſola qvòd edidit
Latona doctum mater Apollinem;
Commenta ſunt, qvòd educatus,
In Clarijs ſit Apollo cunis.
Commenta ſunt hæc: Sarmaticum ...rit
Et clima Vates, fatidicâ qvoq; ...t
Figmenta præter, & Polonus
Progenie Pater audit Orbis.
Vt qvid remotis partibus, abditæ
Per antra Cyrrhæ, ſeu per inhoſpitos
Thymbræ receſſus, ſumptuoſo
Phociadum ſimulata ſcalpro.

De

Delubra qværam? ſi mihi verior
Iam non inani nomine Delij
Idea vatis, & verendum
Prototypon BENEDICTE vivas.
Heu qvanta ſummis Sarmatico ſuper
Situ coruſcat flamma caloribus!
Cæloq; confines ſub axe
Tam gelido jaculatur ignes.
Huc augurantem Numina ſpiritum
Fudere totum, vel priùs amnibus
In eruditis balneandum
Te potius BENEDICTE Muſæ
Sumpsêre, primos ſterneret anteqvam
Diana pannos, Te prius Enthei
Enutriendum lacte, molles
Theſpiadum peperêre cunæ.
Qvidqvamnè vaſtis in penetralibus,
Et doctiori condidit in ſinu
Minerva Mater gratiarum
Qvid gremio ſinuavit alto?
Qvid non redundet fuſiùs integris
In Te fluentis? hinc velut aureo
Scaturit ore Tullianus,
Aonius ſcatet inde compto
Aptoq; fluxu ſermo, liqventia
Sic mella ſpargens, non aliter, fores
Hos primus inter, qvos vetuſtæ
Thebaidos numeravit ordo

In-

Inuſitatus, qvoſq; vel inſeqvens
Notabit ætas; nî qvoq; Pindaro
Auferre palmam cenſearis
Cum titulo meliore Vates.
Vel hinc tumeſcet forſitan arduo
Thebanus auſu? ſi prope porticum
Regalis aulæ palliatus
Conſtiterit, fabricatus arte
Athenienſi? major an audiet
Exinde multis? ſi ſibi Regios
Vis culta dicendi favores
Contulerit meruiſſe qvondam.
Sed iſta qvid ſunt? ſi memorem qvibus
Grandes avito Nomine Principes
Sub gratiarum Te, Tuamq;
Auſpicijs coluêre Muſam.
Suſpexit illam non ſine maximo
Favore Princeps OLSZOVIVS Tuus,
Et ne deeſſet præmiatrix
Præſuleis manus ampla donis
Tanto Pòétæ, Te lateri ſuo
Aulæq; junxit, qvem velut alterum
Vrbanus alter, laureatum
Efficeret citiùs Pòétam.
Qvid eſt? qvòd unam nonſolùm Pindarus
Servâſſet Vrbem, cùm Lacedæmona
Deſævientem, ſeu cruentos
(Dum Patrijs truculentus Aris In-

Inſtaret hoſtis) ſopijt impetus
Vt plura vitæ tempora Civibus
Donaret unus, & Paterno
Incolumi reſeraret annos
Solo ſecundos ; non ideo tamen
Hæc prorogârunt ſæcula poſthumis
Volvenda faſtis, nec futuris
Temporibus recitanda reſtant ,
Qvæ nôrit orbis qvæq; perennibus
Notentur actis omnia funebri
Abſorpta fato, cuncta pridem
Immemori cinerata buſto.
Iam verò qvantis Nomina terminis
Tot celſa, per Te non populariter
Protracta vivent, vel rapaci
Nunqvam aliàs peritura fato.
An non ſuperſtes gloria Præſulum
Cracovienſi vivet in Infula
Hucuſq; ſemper ? nec ſagaci
Perennium titubante mundo
Labentur unqvam, qvos Tua paginis
Inſculpſit amplis penna, nepotibus
Servandus ſecuturis, eodem
Tuq; ſimul BENEDICTE vives
Plauſu canendus : Te CALASANTII
Faſti loqventur, ſeû recinant probæ
Exempla vitæ, ſeu Tuorum

Commemorent ſeriem laborum,
Qvos illa ſemper ſedulitas tulit,
Nunqvam fatiſcens: undiq; grandium
Ex parte qvavis pullulabit
Materies operoſa laudum.
Vel ipſe tanti Nominis infimus
Vivam libenter cultor, & ultimam
Aduſq; vitam filialis
Vivo memor, moriarq;, penſi.

ERRATA.

Qvædam typographus, qvædam admiſi ego; utraq; in ſecunda editione, utpote jam bene reviſa corrigentur, modò condonata utriq; ſunto.



FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS.

PErenni memoriæ ad obſervantiam Magnorū Nominum, reiq; Literariæ ad emolumentum & ornamentum, MERCURIUS CIVILIS per Principū &c. ſerviens, Authore P. BENEDICTO à S. JOSEPH Religionis Noſtræ Sacerdote, à Patribus aliquot recognitus & approbatus, habitâ poteſtate A. R. P. Noſtri JOANNIS FRANCISCI à S. PETRO Præpoſiti Generalis ut typis edi poſſit, libens annuo & concedo facultatem. In cujus rei fidem has manu meâ & officij ſigillo munitas dedi Podolinij die 15 Martij. 1695.

VINCENTIUS à S. IOSEPH Præpoſitus Provincialis. mpp.

IGNATIUS à S. STANISLAO Aſſiſtens & Secretarius Provincialis. mpp.



APPROBATIO,
Illustrissimi Loci Ordinarij.

Approbatur Authoritate Ordinariâ,

STANISLAVS Episcopus Posnaniensis.

mpp.







